





EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.


Ac. 73














2
DOMINI SAMUELIS PUFENDORFII
JURIS NATURALIS DOCT. & PROFESS.

CONTRA

JUS NATURÆ

INIQUITAS INQVE ILLIUS
SCRUTINIO INFELICITAS

IN

CAUTIONEM PRO INCAUTIS

ET

VINDICATIONEM NOMINIS

Publicè ostensa

Per

V. D. M.

Qui se contra Sincerum VVarenbergium Christia-
num Vigilem nominare & adversus *ai 9 18 5* illius de Polyga-
mia assertiones pro munere sibi in Ecclesia DEI cre-
dito debite voluit Vigilare.

Marc. 13. v. 37.

Quod vobis dico omnibus dico : VIGILATE,



GERMANOPOLI, ANNO 1674.

GVILIELMUS GROTIUS

de Principiis Iuris naturalis cap. 14. §. 13.
p. m. 29 30.


Facile apparet quatenus in legis naturalis præcepta impingant qui alterius aut dignitatem minuunt, aut bonam famam commaculant. Quid enim magis charitati quàm homo homini debet contrarium est, quam ut quis alterius honori detrahat, aut probrum aliquod ei maligne affriceret; Quod nemo bonus unquam sine summa animi commotione sibi fieri patiatur.





CVM DEO!

DNI. SAM. PUFENDORFII
JVR. NATVRÆ DOCTORIS CON-
TRA IVS NATVRÆ
INIQVITAS.



Am dum ultra annum, men-
ses aliquantò plures, excurrunt, quan-
do à vernalibus nundinis Lipsiensibus
inter alia rei literariæ & ecclesiasticæ
novella, afferebantur Domini D.
Balthasaris Menzeri literæ, super
Polygamiâ simultaneâ, Stockholmi
ad amicum datæ, ibidemque, ut ha-
bebat inscriptio, excusæ, unâ cum

Brevi Consideratione illius, quod sub Sinceri Warenbergii
nomine veniebat, colloquii, super eâdem Polygamiâ, Fran-
cofurti apud Moenum typis publicis exscriptâ. Evolve-
re illa ubi per otium datum fuit & videre, quam in Christi-
anissimâ Sveciâ, salutaris illius & purioris Evangelii Luthe-
ranæ religionis splendidissimo domicilio & fortalio con-
troverfia agi cœperit super cœlesti monogamias præcepto,
sic ut & in congressibus publicis & conviviiis solemnioribus
in dubium vocaretur id, quod in omni Christianitate credi-
tum

A

tum

tum est Polygamias divinum interdictum ; certè pro eo ac debui super acerbo hoc ecclesiarum Svecicarum fato graviter indolui. Succurrebat animo, quàm hic volgivagæ Veneris usus extra unum illud, quod ad genialem cohabitacionem & mixtionem homini ordinaverat DEUS, ab omni retrò ævo à *θεός* prævisset, quam bruta mox sequeretur impietas & perversæ mentis peccamina in primis mundi habitatoribus aquis diluvii, in Sodomæis igne calitus emisso, sic graviter vindicata. Obversabat timor, ne virus hoc ex Sveciâ in Germaniam patriam nostram dulcissimam non serperet modò, sed & eundo cresceret, & vires majores sibi acquireret : In quo quidem posteriori sic prorsus mea me non fefellit opinio, ut Svecum hunc Polygamias præconem Pseudo - Germanus aliquis æmularetur, & nocivum hunc Verimontii seu Venenomontii potius errorem de Polygamia in sacris literis non prohibita, non approbaret tantum, sed & , superaddito novo impietatis figmento assereret; quod, qui dono virtutis generativæ non caret, ex jure divino tam chartis, quam cordibus scripto, unâ plures uxores quin & totos earum greges ducere teneatur, obligetur. Id scilicet deerat hisce ultimis temporibus nostris, ut illa, quæ diluvium præcedebant, superare malitiâ possent, ne qui publicè in laudibus poneret foeda promiscuæ libidinis vitia ulterius deeset ! Interea is qui à Sincero Warenbergio publicè prostabat Dialogus eâ mihi ratione confectus videbatur, ut ceu *μυμολεξις* est Diabolus seducendi artes non mediocriter teneret ; præsertim cum id, quod super monogamiâ datum est divinitus præceptum ad verbum in diplomatis sacrarum literarum non legatur, sed per consequentiam aliquam utut non prorsus difficilem & obscuram colligi inde & demonstrari debeat. Hinc cura mihi fuit super
fontica

fonticâ hâc causâ in timore Domini aliquantò pensitatus cogitare, & quàm ad bonæ interpretationis & ἀποδείξεις leges hoc de monogamiâ divinitus præceptum è sacrâ Scripturâ evidenter ostendi posset, periculum facere. Ex pio hoc meditamine fluxit epistola illa seu Dissertatio Christiani Vigilis ad Sincerum Warenbergium super Polygamiâ simultaneâ. In quo quidem labore non me quisquam aut πολυγαμοσίως aut captatæ in vanum gloriolæ accusabit, qui modò cogitat, quàm non unì nos ecclesiæ sic Deus destina-verit, ut non totius etiam salutem quærere debeamus, quamque ad restinguendum incendium succurrere pro viribus civium quisque teneatur. Neque tamen initio aliis potius quàm mihi scribebam, cui propositum erat, memet potius in Christianâ hâc doctrinâ confirmare, quàm alios super illa docere, donec qui scriptum, ignari cujusnam auctoris, legerent ex amicis, id typis publicè exscribendum non svaderent tantum, sed & peterent, quamvis ubinam exscriptum sit neque hodiè apud me certò constet. Num id, quod volebam, fecerim probè nec ne? penes pios eruditos & prudentes judicium esto; neque enim magnoperè curo, si *scriptorem* me *valdè musteum* vocet vappa penitus deperdita. Rem ipsam in hâc controversia dum agebam, non multum sollicitus eram, quis nam primus illius in Svecia autor fuerit, aut triviales ibidem discursus de Polygamiâ divinitus non interdictâ effecisset. Pufendorffium aliquem esse publica, quæ, ut proverbium habet, non de nihilo est, fama susurrabat: quis ex fratribus esset, non addebatur. Samuel mihi jam tum dudum notus erat, ex illis, quæ anno 1660. publicæ luci dederat *Juris Naturalis Elementis* exque illo, quem eadem fama publica ipsi tribuebat, Monzambano Majestati magnatum & domui præsertim Austriacæ, plus quàm id à



Germano Politico præfertim & juris naturalis Doctore sperari poterat, acerbo. Et hujus quidem Samuelis Pufendorffii nomen cò tunc memoriâ hærebat recentius, quo recentius legeram, quod Sarcmasii Pica Pieris ante biennium ex Helicone de illo attulisse volebat iudicium; Quod, quemcunque tandem aut Parentem aut obstetricem habuerint Elementa illa Juris, quibus nomen suum præscripsit Pufendorffius, illud tamen omninò de illis habendum sit, multa ibi subtilius, quàm utilius multa accuratius quàm verius tradita reperiri. Neque tamen opinari poteram, Samuelem hunc, quem Londini Scanorum vivere noveram, Stokholmia in Sveciâ hæc ordiri potuisse incommoda, inque impio hóc super licentiâ polygamias asserto ecclesias turbare. Evolvi igitur illa quæ ad manus erant, illius Juris naturalis Elementa, num fortè, quod hic Pufendorffius super Polygamiâ statuat, invenire detur & legere. Tepidum inveni hominem, & qui videri posset, quod dogmati huic moralitatis Christianæ fidem minus firmam haberet, quando p. 485. hæc illius legebam verba. §. 7. *Quod polygamiam attinet, certum quidem est, talem, quâ una pluribus simul viris uxor est, à natura & sine matrimonii prorsus abhorrere: At verò, ut unus pluribus fœminis simul jungatur, etsi lege divina positiva inter Christianos jam credatur interdictum, legi tamen natura in se haud repugnat, Non enim necesse est, ut, quemadmodum uxor nemini viro corporis sui copiam debet facere, præterquam uni marito: Sic & maritus alii fœminæ præterquam unice uxori. Nam prius necessarium est ob certitudinem sobolis. At verò, ut unius fœminæ libidini mulcenda omnes quis impendat vires, quæ apud plures soboli excitanda sufficere poterant, haud quidquam à naturâ præcipi videtur. Illæ verò rationes de zelotypiâ uxorum inter se, de discordiis domesticis, de odiis*

CONTRA JUS NATURÆ INIQUITAS

de odiis novercalibus in ipsâ quoque prole continuandis, apud istas duntaxat nationes valent, ubi erecta nimis fœminarum ingenia; quales hodiè pleraque apud Europæos; ubi strenuè officio viri fungitur, qui uxori ipse non est obnoxius. At verò apud Asiaticos, aliosque, ubi fœminis obsequii tantum gloria relinquatur, domesticam pacem plures uxores nihil magis turbant, quàm alibi unius viraginis præpostera imperandi libido. Omnino tamen gravissimis de causis concessam antehac polygamiam post perpositivas leges prohibitam fuisse, censendum est.

Et denuò pag. 451. Ex ejusdem quoque pacti vigore maritus, monogamia seu polygamia legibus sit introducta positivis, non debet se aliis fœminis, præterquam uxoribus impertiri. Etsi delicta maritorum in hoc genere, quando fors in solutam inerraverint, haud ita directè cum fine matrimonii pugnent, uti uxorum perfidia.

At enim non sic me in diversum rapiebat ullam aliquod partium studium, ut non Christianè in meliorem partem præsumerem, adeòque benè sperarem de viro, qui non aliter mihi, quam ab eruditione insigni notus, faciem & mores incognitus prorsus fuerat. Interea aliquis etiam alius mihi nominabatur Esaias Pufendorffius, & hunc quidem non in Svecia vivere dicebat tantum, sed & in regiâ Holmensi aulâ à secretiscriptionibus esse, illiusque opinionis, quæ super polygamiâ simultaneâ tot pias animas turbaret & angeret autorem & professorem. Ego in publicâ hâc famâ, sicuti Christianum decet me, quod bene scio, gessi neque ultra quàm id permittebat Christiana præsumptio quidquam super hâc re statui aut scripsi; meo me putans satis fecisse officio, si illo, quo se nominare ipse voluerat, nomine compellarem. Tantum id mihi datum cogitabam præcipuè

puè negotii, ut in argumentorum pondere mansuetudinem humanam & lenitatem Christianam ubiq; adhiberem, præsertim cum ex publica famâ Pufendorffiorum nomen menti in hâc scriptione obversaret, quod quidem reverentius longè habebam, quàm ut illud ulla in re offendere vellem. In religiosissimâ Sveciâ novum hunc Polygamix assertorem magno munere fungi audiebam, adeoque pro Christianissimi illius Regis Regniq; pietate ex fratribus Christianis hoc, utut maximè nocivo, errore præventum fuisse putabam, qui in viam reducendus esset quidem, sed summâ cum mansuetudine ab iis, qui spiritualiter animati sunt.

Præsertim autem ab eo, quem communis fama cantabat Pufendorffio, si qui fortè is autor esset, omnia ex humanitate & ratione mihi pollicebar, neque fieri posse credebam, ut, qui rectæ rationis dictamina tam diligenter scrutaretur, aliter, quam ex ratione ageret, aut qui communi hominum jure florem Svecicæ gentis imbueri vellet, temerè contra humanitatis leges prævaricaretur.

At cheu! qualem ex nuperis Lipsensium nundinis Orbi pio & erudito se prostituit Magnus ille mihi semper habitus Samuel Pufendorffius in Apologo suo ἀναπολογία. Diceret in Ulissis alicujus comitio à novâ quâdam Circe male passum fuisse optimum Virum, ut ab omni humanitate penitus degeneraverit: Sic prorsus ex affectu, beluino more agit omnia, ex ratione ad officium boni hominis nihil penitus.

Nescio sanè an indignari debeam homini potius, an misereri illius cordicitus!

Non quidquam crebrius, quam furciferos, nebulones, &c. loquitur, ut periculum esse debeat, ne jam honestatis nomina apud ipsum rarefcere incipiant,

Non

Non cujusquam libentius, quam arcadici pecoris mentionem facit, ut timore opus sit, ne in hâc insperata metamorphosi nimium inde brutalitatis, hauserit, imbiberit.

Itanè juris naturalis celeberrimus Doctor iniquè contra illius leges agis, ut in insontem, qui quod novit Deus καὶ οὐ γινώσκεις ne verbulo te lædere unquam voluit, sic crudeliter grassareri? Eumque & infamis mendacii & diabolicarum calumniarum publicè coram mundo reum ageres?

Certè non potes non mentiri, non potes non calumniari, cum antequam mendacii & calumniarum debitè me conviceris, calumniam mihi & mendacium, ut illam deglutire cogerer publicè, publicè exprobrasti.

Nunquid non ipse fateri debuisti Mi Domine Pufendorff? *Quod fama te autorem esse infelicis illius & venenati Dialogi per non pauca Germania loca disseminaverit, idque ex sermonibus Viri non obscura fama & infimi subsellii, uti ipsa tua verba habent p. 4. Quid igitur, excute quæso rationem & conscientiam tuam, quid mendacii fuisset aut calumniæ si & ego illi, quæ magno quodam & fide dignissimo autore per plura Germaniæ loca ferebatur, famæ, fidem adhibuissem adeoque ex publico sermone hunc tibi Polygamias nocivum errorem publico etiam scripto tribuissem, Præsertim cum hanc grassanti per Germaniã de Te famæ tanto tempore ne verbulo quidem obviam iveris, aut gravissimum illud, quod inde ecclesiæ scandalum obvenerat, ulla ratione sustuleris, quin imò cum illa, quæ jam olim super Polygamiã in Elementis juris naturalis scripseras in suspicionem te inducere possent, ac si Polygamiã statuas non juri natura tantum in se haud repugnare, sed & illius interdictum inter Christianos (tantum) (incertum fortè quo jure quâque injuriã,) credi. A quâ quidem suspitione non te liberabunt ea, quæ in opere*

in opere tuo de Jure naturæ & gentium lib. VI. c. i. §. 9. scribis, præsertim si cum eis quæ paragrapho præcedente scripseras, conferantur. Quamvis enim eo, quem adducis paragrapho 19. fatearis; *optimum & maximè decorum; simulque ad quietem domesticam accommodatissimum esse unum unâ vivere contentum, adeoque hoc matrimonii genus sine dubio perfectissimum habendum* p. 782. quando tamen super divino de polygamia interdicto in antecedentibus argumenta pro & contra affers, sic te geris ut quàm negantium parti fa-veas potius, adeoque poligamiam simultaneam verbo divino vetitam esse non credas, is qui aliquid videt, videre facile possit.

Quandoquidem igitur illam, quam communis fama & Autore quidem Viro fide dignissimo spargebat suspicionem sic penitus amoliri neglexeras, quin ipsis scriptionibus publicis & quæ antecedeabant & quæ consequebantur, auxeris, quis prudens & cordatus vitio mihi vertere potuisset, si nocivam hanc opinionem ex publicâ famâ conceptam, publicè etiam tibi imputassem, aut ad minimum te illius sententiæ super polygamiâ fautorem Dialogique autorem per Germaniam fama denunciari apertè scripsissem. Magis tamen, quàm id opus erat, cautus fui, adeoque quem fama publica erroris hujus virulenti arguebat, nominatenus tamen ego sic prostituere mundo nolui; contentus cum Sincero Warenbergio, quisquis demum is esset, super re ipsa ad leges bonæ disputationis disquirere, adhibita etiam illa quæ Christianos, quin & homines, decet mansuetudine, ne unquam sine laude earum, quibus forte conspicuus esset, virtutum, nominaretur.

Equidem conqueritur Pufendorffius *quod in dissertatione super Polygamiâ simultaneâ Sincero Warenbergio opposita apertè*

apertè arguerim sub isto Warenbergio eum latitare; Attenim fortunam avium Bessi fortè hæc mea habuit dissertatio, quas malè facti conscientia ex nativâ voce, quæ prodere nihil poterat, proditiõnis inculabat.

Tuam autem fidem & conscientiam testor. Benevole Lector, ut si ipsam fortè Christiani Vigilis Dissertationem legeris, ingenuè judices, an præter communem famam ex eadem super Samuele Pufendorffio innotescere tibi aliquid potuerit? Certè, quam in opinione præstantiæ & singularis eruditionis apud me fuerit, quisquis fuerit Sincerus Warenbergius, id ubiq; apertè satis apparebit. Neque tamen hic præcellentiæ & eruditionis character ita singularis erit Pufendorffio, ut præter eum nemo inde intelligi queat. Quod Sincerus Warenbergius cum consultissimo Jurium quorumcunque Samuele Pufendorffio alter idem & olim fuerit, & etiamnum fortè sit semel scribo lit. E. 3. fac. 2. At enim, quis inde aliud quid, quam quod ei amicissimus fuerit, inferre necessariò poterit. Amicissimus autem qui est Pufendorffio, non ipse esse poterit Pufendorffius.

Non igitur egote, mi Domine Pufendorffi, in illa super Polygamiâ Dissertatione sub isto Warenbergio latitare apertè argui, ut super atroci quadam injuriâ conqueri necessum habeas; Tu potius primam injuriam intulisti, adeoque contra jus naturæ, quod scrutaris, quod doces, quod profiteris iniquus in me fuisti nimium. Contra jus naturæ iniquus in me fuisti, quando calumniæ & mendacii reum me publicè egisti, cum tamen calumniarum & mendacii neque conviceris, neq; convincere æternū, quod benè scio poteris. Contra jus naturæ iniquus in me fuisti, quando *blanditias viperino felle adpersus tribuis, palpumq; obtrudere voluisse significas, ut eo acrius mordere possim.* Certè quam tibi felle sit plenus animus ex hæc scriptione tuâ abundè constat, Unde nam

B

autem

autem Tu novus Deus quid in me est abditi pectoris nosti? ut diversam mihi ab eâ, quam scripseram mentem scire poteris? Christianus certè amor suspicax non est, ut in peiorum ita partem quidquam interpretetur: Etsi fortè is te non tangit, ille tamen, qui ex naturali tuo jure rectæ rationis dictamine profluit, magis candidus esse debebat, quàm ut de Viro bono tam malè præsumeret. Quam ego sine felle & fraude omnia & has quoque Sinceri Warenbergii laudes scripserim, testem illum advoco, qui cor nostrum etiam nobis rectius & intimius perspicit. Judica me Deus & discerne causam meam! Quæ autem mala fors, Pufendorffii, mentem omnem abstulerat, ut Jurium quorumcunque Consultissimus sic ipse in prima & Communia Juris præcepta impingeres, innocentemque illius famam, qui non nisi optimè semper tibi cupiit, qui non nisi cum summo honore de te sensit sic temerè & contra omnem culpam tam graviter læderes, orbique toti, ut calumniatorem & mendacem prostitueres. καὶ αὐτὸ τὸ μὲν ψεῦδος Φαῦλον ἢ ψεκτὸν verba sunt φιλοσοφικά. Artis Hug Grotio tibi etiam Jur. nat. & gent. lib. 4 cap. 1. p. 396. citata & explicata & hujus tanti vituperii tantæq; fæditatis, tunc qui non nisi veritate & pietate innotescere volui coram mundo reum agis. Sed benè res est; credito, mi Dn. Pufendorffii, temet potius, quàm alios apologo hoc tuo nimium quàm ἀναπολογήτως malè prostituisti, neque fortè illæ, quæ scaniam alluunt aquæ factis esse possunt, ut maculam eluant, quam præceps hic animi tui furor æstimato antea nomini tuo affricuit. Notos tibi p. 45. scribis esse *homines, non juvenia fervidos sed provec̄tate, magnoque sapientia fastuturges, ac in tali officio constitutos, quo alius exemplo moderationis præire deberent; Qui tam violentis agitentur affectibus, ut atatem & dignitatem & munus suum sepiusimè prostituant. Et non magis se amabiles, quam*

quam urfos aliasve mordaces beluas reddant. Quæso tecum habitata priscum illud *γνώθι σεαυτὸν*, exerce; non fortè quod te magis exprimat ullibi eveniri dabitur *ἐκ τὸ: ὄραμα*. Ego non ut injuriam inferam, sed ut ab impacta injuria nomen meum, quod honestum servare & meâ & ecclesiæ inter est, hoc denuo dico: Aut illam mihi calumniam illudque mendacium, quod imputasti, eâ quâ id opus est evidentiâ proba; aut publicè deglutendum recipe.

At enim, cur peregrino parceret, in fontemque famam ejus, qui procul est imputatis malè criminibus non sollicitaret, qui loci illius, in quo degebat Pastores, ecclesiæ in quâ salvari debebat Ministros & Theologos sic penitus omni injuriarum genere tam duriter agitat, cruciat. Is, qui non cum ratione pietatem decoxit, diffiteri non poterit, id præcipuè negotii cælitus datum esse Theologis quibuscunque & verbi divini Ministris, ut ecclesiæ quidem universæ, illi autem præprimis, in quâ Deus ad pascendum gregem Episcopos eos constituit, prospiciant, caveantq;, sedulo, ne per nocivam quandam doctrinam aut fides aut vita Christiana detrimenti quid patiatur. Hæc, cujuscunque demum generis fuerit, zizania illa sunt, quæ dum dormiunt homines, & neglectim res suas agunt, in medio tritici cœlestis Patris familias seminat inimicus & adversarius Sathan, uti est in parabola Matth. 12. v. 25. Ne igitur inimica hac se- mente nocere aliquo modo possit hostis, excutere oculis somnum oportet, vigilare & circumspectè agere, omnes equidem, qui vivunt in Ecclesia homines, eos tamen præcipuè, quos Vigiles inibi peculiariter statuit Deus; & hoc eo potius, quod, qui horum culpâ perit, sanguinem ab illorum manibus posciturus est, is, qui eos ordinavit, Deus idem T. O. M.



Neque hic est, quod excipiat Pufendorffius tantum in verâ religione verbo Dei nixâ nihil esse innovandum, cum in iis quæ rationi subiecta sunt, eo ampliorem ingenii & industriæ laudem mereantur Scriptores, quo plus novitatum invenerint. Quæ illius est excusatio in apol. pag. 6.

Etenim qui scrutando sacras Scripturas, in illâ etiam, quæ à revelatione pendet, disciplinæ veritates novas eruit, laudem meretur, & majorem fortè, quam qui scrutando naturæ arcana in disciplinis rationi subiectis id præstiterit; cum Theologiam Philosophiæ præstare æternaque caducis anteire apud eos saltem, qui Christiani nominis sunt, negari non debeat. Quandoquidem autem sub spe & schemate veritatum novarum novæ sæpius falsitates apprehenduntur & venditantur, neque id minus in rationis quam revelationis scrutinio; cumque insuper in disciplinis rationi subiectis, non minus, quam in eâ quæ à revelatione pendet, evenientes. Falsitates & errores cum nocendi periculo conjuncti esse possint; Næ ab utroque cavendum fuerit sedulo; contra utrumque vigilare oportet eos præsertim, quos ut vigilant in ecclesiæ suæ speculâ posuit ecclesiæ Dominus.

Quicquid demum Empactæ rideant, utique *hic Atlas* gravis officii ex munere cælitus dato *humeris eorum* incumbit.

Si quis fortè, quod Deus clementer avertat! Si quis tamen forte in Scania repertus sit novaturiens aut Epicurus, aut Epicuræus, qui in naturali rerum ex ratione indagine pro certo noviter comperisse se asserat; Deum rebus humanis quin & mundanis in universum omnibus nihil providere, sed quæcunque fiunt aut cæco quodam impetu aut motu miro mechanico fieri, effici, evenire; Numquid tu putas Dn. Pufendorffii, in tali casu non quidquam pertinere
ad

ad eos, qui Scanicis vestris Ecclesiis præfunt aut ministrant
 ut sollicitè & sibi & commisso gregi caveant, ne quid mali
 inde ecclesia aut quæ hinc pendet animarum salus pati de-
 beat? Numquid existimas novitatum harum inventores &
 scriptores ampliore ingenii & industriæ laudem mereri?
 propterea quod inscrutinio naturalium, & disciplina rati-
 oni subjecta inventæ sint & excogitatæ? sic ut ne mutire ac-
 hiscere adversus debeat, quisquis fuerit in ecclesia. Ego
 hæc sic prorsus non puto, ut credam potius, si muti canes
 fuerint, si non debitè vigilaverint, si non cautè super his re-
 bus ecclesiæ prospexerint, fore, ut, qui ex hâc culpâ perit
 sanguis ab illorum manibus in *πρωτοκρητικῶ* illo die requisi-
 turus sit is qui à Deo Patre constitutus est, ut iudicet mun-
 dum Jesus Christus noster omniumque hominum dulcissi-
 mus alioquin Salvator.

Et quæso Te, Mi Dn. Pufendorffi, nunquid non ex di-
 sciplinâ rationi subjectâ erant illæ, quæ proximis ab hinc an-
 nis non malè quassatam tantum Bataviam, sed pænè Euro-
 pam omnem turbarunt ex Philosophiâ Carthesianâ novi-
 tates? Annè autem Asinius Tenebrio Tibi fuerit Magnus
 non ita pridem Maresius, quod Carthesianæ Philosophiæ
 abusum in Theologia publico quodam scripto publicè in-
 dicaverit? Annè ad lyram Asini existimabuntur plures illi
 in pluribus Europæ provinciis Theologi, qui Carthesiana
 hæc novarum inventionum philosophemata probare no-
 luerint? Annè præpotentissima Batavia aut munitissima
 Helvetia novitates allatravit, aut ruditatem suam debuc-
 cinavit, quando Carthesianas hæc doctrinas non censo-
 ria tantum virgulâ notavit sed publicè proscripsit, & exes-
 se provinciis suis tam severè iussit. Ipsa illa *ἀγέσματα λίαν*
φοβητὰ quibus Dæmonium illud Anglicanum Hobbius ut
 Herostratus aliquis extemplo Ephesino inclarescere vo-
 luit,

B 3



luit, numquid aliter nisi rationis scrutinia & inventa esse debebant? neque tamen quisquam, qui rem illam perspexit penitus, sic extra curas Christianas positus fuerit, ut vitio vertat Regi regnoque Anglico, ubi hunc innovandi pruritus compescebant, aut summis illis Theologis qui hæc ecclesiæ Dei nocumenta scriptis profligare & eruditè & non infeliciter laborarunt.

Falleris enim & vel ignorantiam vel arrogantiam prodis quando §. 30 p. 57. ostendi jubes, quis errores Hobbesii in politicis magis ex fundamento everterit, quam tu in libro tuo (de jure naturali & gentium) feceris. Jamdum enim anno 1656. Oxoniæ prodiit Sethi Wardi tum in Academia Oxoniensi Astronomiæ Professoris hodiè Episcopi Sarumensis, Exercitatio Epistolica in universam Hobbii Philosophiam in qua Sect. IV. novus ille Hobbianus homo Sect. V. novus ille illius civis, & sic errores ejus politici ex fundamento satis evertuntur, additâ etiam de religione Hobbianâ Sect. VI. Superiori autem anno Londini Anglorum publicis typis scripta est Richardi Comberlandi, de jure naturali & gentium Philosophica disquisitio, in quâ Hobbianâ inventa politica consideratè & examinantur & libro, qui tuo non multo minor est, discutiuntur. Ne jam nunc dicam, quam politicas has ejus novitates ecclesiæ fideique nocivas esse ostenderit Generos. Baronettus Carolus Wolsolæus in the unreasonableness of Atheism, qui liber anno 1669. Londini secundâ jam vice revisus & auctus ab autore typis exscriptus est: Item Thomas Tenison in the creed of Mr. Hobbes examined, etiam in secundâ editione Londini 1671. & qui nuper in Germaniâ visus est Templerus in Theologiâ Leviathanis.

Quandoquidem autem in Philosophematis Carthesianis & Hobbianis justum erat, illis præcipuè, quibus gregis divi-

divini tradita fuerat cura, providere ecclesiis, ne ab hisce, utut rationalium disciplinarum novitatibus incommodi quid paterentur, illasque novitates earumque nocumenta & pericula publicè ostendere, adeoque errorum Carthesianorum & Hebbianorum indices quasi conficere; qui fit, quod in tuâ hæc causâ ex eodem officio, qui similiter fecerunt, adeoque & novitatum tuarum ad minimum periculosarum catalogos aut texuerunt, aut in cautionem pro incertis publicarunt, qui fit, inquam, quod hi sycophantæ primarii, nebulones impurissimi, furciferi, perditissimi, & si quid est pejus esse & audire debeant.

Μακάριοί ἐστε, ὅταν ονειδίσωσιν ὑμᾶς, καὶ διώξωσι, καὶ εἰπωσιν πᾶν πονηρὸν ῥῆμα κατ' ὑμῶν ψευδόμενοι, ἐνεκεν ἐμοῦ. Χαίrete καὶ ἀγαλλιᾶσθε, ὅτι ὁ μισθὸς ὑμῶν πολὺς ἐν τοῖς ἔρανοῖς. εἶπω γὰρ ἐδίωξαν Ἰησοῦς πρὸ φήτας τὰς πρὸ ὑμῶν. ὑμεῖς ἔσθε τὸ ἄλας τῆς γῆς, εἰάν δὲ τὸ ἄλας μωρανθῇ, ἐν τίνι ἀλιθῆσεται ex Matt. 5. v. 12. seq. Rev. hisce Viris dilectissimis meis in Christo fratribus, & in Evangelio conservis non immeritò in solamen acclamo! Certè e zelo domus Domini actita fuisse quæcunque acta sunt vel in ipsa apologiâ narratio quæ tota tamen Pufendorffii parte tenet, non obscure arguit. Concedamus autem Pufendorffio (quod tamen is probavit neutiquam, neque probare poterit,) pientissimum hunc Domini zelum non temper κατ' ἐπίγνωσιν fluxisse, numquid tamen hi legati cælitus, per quos ipse Deus hortatur, non ab eo, qui Christianus, quin Lutheranus esse volebat, adeoque summam numinis majestatem reverenter colere debebat, Sanctius habendi erant, quam ut propter humanum aliquod παράπτωμα sic atrociter violarentur? Ne tangatis Christos meos & Prophetas meos ne malefaciatis, &c. severum est mandatum terribilis illius, qui & corpus & animam in gehennâ perdere potest, Psalm. 105. v. 15. quam vili etiam loco pretioque habeantur illis præfer-

tim.

tim quibus & proh dolor in Christianitate, ubi *Dei virtus & sapientia* esse debebat *scandalum & stultitia* esse incipit *Christus crucifixus*, I. Cor. I. v. 23.

Ab hujus igitur vindictâ, per animæ salutem te rogo, diligenter Tibi cave Domine Pufendorffii, ne dum, ob commissi coelitus officii fidem & industriam, unctos hosce Domini tam atrociter injuriis afficis Christum ipsum persequaris. Verum enim verò cum sic extra Te positus fueris & furibundus quasi, in eos qui in Scaniâ debitè vigilabant, adversus Philosophematum tuorum novitates, ne quod illæ nocuumntum ferrent illis quarum nunc membrum esse tu debebas ecclesiis; quid Patriotis tuis Saxonibus facies, qui idem periculum in libris tuis de jure Naturæ observarunt, & non minori alacritate contra zizaniorum horum sementem vigilarunt. Namque non dubito, quin jam innotuerit tibi etiam in Electorali Saxoniâ Philosophiam illam tuam non ubique benè moratam, illudque jus tuum naturale non omninò justum ab Academiis publicè fuisse proscriptum & relegatum, neque fortè negabunt fideles in domo Dei servi, Theologi pientissimi, quam debitè monuerint, & quodnam ab hisce novitatibus ecclesiis scholisque periculum immincat, ea, quid par erat, fidelitate ostenderint. Quid hic jam ages Pufendorffii? Numquid & hic scribere debebis: *Auctor liberque inclementi censura notatur præcunze calumniâ primarii cujusdam Sycophantæ, cujus ob reverendum schema ab istis omnia quæ hic per inconsultos affectus aut inscitiam eructaverit velut oracula inclinatio in terram capite adorantur?* Numquid & hic nebulonum, furciferorum asinorum & nescio quomalo nomine & omine alio, rem ages? Num & istos canes mutos esse jubebis, ut novitates illas tuas allatrare desinant.

Sed desine tu potius injuriarum quin & furiarum, *Ne posthæc intemet fuerit bellua visa loqui, rudere visus homo* ut

ut tua verba habent: Fortè enim brevi experieris, quàm in illis, qui purioris Evangelii tam benè tenaces sunt Saxonibus tuis Patriotis mascula Lutheri nostri animositas non emaruerit, quàmque non, ut tuum est *ἔμπαιγμα ex acetosâ quadam mordacitate*, sed nativâ potius generosissimi vini acrimoniâ, ah utinam in salutarem medelam! periculosum illud vulnus vel carcinoma potius tuum nocivarum in ecclesia Dei novitatum sint aggressuri.

Interea denuò te quaeso, mi Dn. Pufendorffi, fac, ut tibi met restitutus debite cogites & expendas, quàm mendacium & calumniam interpretando, id, quod ex officio divinitus commisso in pium pro ecclesiâ zelum susceptum gestumque fuit negotium, ipse mendacii & calumniarum reus contra id quod doces alios jus naturæ iniquus fueris.

Id quod tute fateris apologi tui *ἀναπολογία p. II. gentiles* (ex juris naturalis notitiâ) *mendacium & calumniam pro foedisimo vitio habuerunt*, qui igitur accidit, mi Domine Pufendorffi, ut tu, qui è Christianis esse cupis juris naturalis Scrutator & Doctor eximius, ab hisce naturâ notis foeditatibus tibi non rectius caveris?

Laudas p. 13. *ἐκτύπωμα* Reverendissimi Episcopi vestri Magni Winstrupii, quando is calumniatorem vivis certè coloribus pingit; *quod sit nigra schola principibus, nigri Magistri, niger discipulus, nigra schola tiro niger, orci aut inferni monstrum, monstrorum teterrimum*; qui igitur fieri potuit, ut cum ex omni humanitate nitidus & elegans conspici debebas, tam tetro schemate mundo meliori te abominabilem stiteris? Docens alios temetipsum non doces, prædicans non furandum, furaris, dicens non mæchandum mæcharis, scribebat olim divius gentium Doctor, cum paulò antequam & naturalis juris professionem meritus fuerit non obscure

scure arguisset, ad Rom. 3. Quid si de Te idem hic juris inter gentes Doctor addidisset, doces non esse calumniandum & calumniaris?

Quandoquidem autem juris legumque naturalium Doctor sic penitus in ipsum, quod profiteris, jus naturale iniquus es & prævaricaris, qui in nobilissimo hujus doctrinæ scrutinio & indagine aliqua inventionis felicitas tibi sperari poterit?

Oportet affectus domare didicerit, ratione qui uti vult commodè illi, quod occupant, mancipium, longè vilius est, quam ut in disciplina hæc rationis, quæ circa jus naturæ versatur, aliquid egregii promittere habeat. Quin quod sapientiæ magister in suo de sapientiâ libro divino sapientissime monuit *εἰς κακότεχνον ψυχὴν ἢ εἰσελεύσεται σοφία, ἢ δὲ κατοικήσει ἐν σώματι καταχρέω ἀμαρτίας. Φιλάνθρωπον γὰρ πνεῦμα σοφία ἢ ἢ ἀθωώσει βλασφημον ἀπὸ χειλέων αὐτῆ. cap. I. v. 4. & 5.*

Certè si à sacro mihi quod divinitus injunctum est, vacare liceret munere, ut ad hæc quæ olim quàm maximè ad amata mihi fuerunt recurrere daretur, juris naturalis studia non omninò difficile foret ostendere, quàm in Pufendorffianis hisce, quas putat, novitatibus non minor quam in Hobbianis cautio esse debeat, ne dum indagari videtur jus naturæ, illud ipsum cum omni honestate & pietate subvertatur & corruat, substituta in illorum locum aut vanâ Philautias persuasionem, aut aliquam Societatis Regulam. Fundamentum nisi probè jactum fuerit, quicquid superstruxeris, corruet, verbum est vetus, & in vulgus etiam notissimum. Agito igitur ab hoc fundamine exemplum capiamus, ut, quàm felicem sperare debeamus ex juris naturalis scrutinio famigeratissimum illius Doctorem Pufendorffium apertius videre possimus!

Uc

Ut Hobbio Londini in Angliâ in natus sui amor, ita tibi Dn. Pufendorffi Londini in Scaniâ is qui non minus à natura inest homini appetitus socialitatis pro fundamento adequato substernitur, communi hominû, circa cujus scrutinium occupamini, juri, sic ut fundamentalis lex naturæ istæ *Tibi sit cuilibet homini quantum in se colendam & conservandam esse pacificam adversus alios socialitatem. Ex quo consequi etiam debeat, quia qui obligat ad finem, simul obligare intelligitur ad media sine quibus finis non potest obtineri: Omnia quæ ad istam socialitatem faciunt jure naturali præcepta quæ eandem turbant & ab-rumpunt verita intelligi, uti habent ipsamet verba tua lib. de jure naturali & gent. 2. c. 3. §. 15. p. 183.*

Expende autem, Benevole Lector, quam in tantæ structuræ fundamento superficialiter rem agat Pufendorffius neque ad illum quo id ratio humana voluit modum hanc tam magni momenti veritatem scrutetur, sic ut ab eo, qui in primâ statim viâ errat, non nisi errorum de viâ & labyrinthi speranda sint & expectanda.

Legum naturalium nomine illas venire propositiones, quæ à rerum hominumque naturâ mentibus humanis suggeruntur sic in confesso est apud omnes, ut in hac quidem re cum Pufendorffio convenire me non dubitem. Est enim hæc natura lex, ut illam cum doctissimis Jure consultis describit Cicero Jurisconsultismus, *ratio summa insita in naturâ, quæ jubet ea, quæ faciendâ sunt, prohibetque contraria lib. de legib. 1. Ea hæc lex est quam à natura ipsa arripimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti sed facti: Ut idem eleganter & ex vero loquitur in orat. pro Annio Milone.*

Quandoquidem igitur instar fundamenti adequati nobilissimæ juris naturalis disciplinæ subjacere debebat hæc propositio: *Cuilibet homini quantum in se colendam esse & con-*

vandam pacificam adversus alios socialitatem, ex qua postea omnes reliquæ aliæ, tanquam ex primo fonte & principio fluere debeant, sic ut pro juris naturalis propositione habenda non sit ex illa, quæ non manet origine; Tum utique necessum erat, ut quam hanc instar fundamenti primi & adæquati rerum hominumque natura humanis mentibus suggerat, dictitave, ad leges bonæ disputationis ostendatur, demonstretur, sic ut συλλογισµὸς inde eveniat ad illum fortè modum:

Quæcunque propositio de praxi humanâ, à rerum hominumque natura mentibus humanis suggeritur, & ita quidem ut primum sit & adæquatum principium, unde reliquæ omnes fluant, illa propositio, est fundamentalis lex naturæ.

Atqui hæc: Cuilibet homini quantum in se colendam & conservandam esse pacificam adversus alios socialitatem est propositio, quæ de praxi humanâ à rerum hominumque naturâ mentibus humanis suggeritur, & ita quidem, ut sit primum & adæquatum principium, unde reliquæ omnes profluant.

Ergò propositio illa est fundamentalis lex naturæ. Id autem quando debitè non præstiterit, sic ut Minoris veritatem, quisquis ratione uti commode potest, & capere & intelligere possit, quid prohibebit, quò minus etiam Domino Pufendorffio, imputemus, quæ Dominus Feldenus sedulus ille & sagax juris naturæ scrutator scribit in elementis juris universi part. I. c. 5. §. 13. *Omnes jus naturæ dari clamant, nemo autem propemodum scit, quia illud sit, sed quod cuilibet sua dictitat opinio, hoc pro jure naturæ habet.* Vel uti conqueritur is, qui in Angliâ juris naturalis demonstrationem certissimam invenisse se putat ingeniosus & acutissimus Dominus

minus Richardus Cunberlandus in doctissimâ & Philosophicâ sua de legibus naturæ disquisitione; *Contenti fuerunt dicere generaliter hæc dictamina aut ætus iis consentaneos à natura doceri, necessarium autem est indagari quomodo Rerum extra nos & intra nos positarum vis concurrat ad ea nobis imprimenda & sancienda* Proleg. §. 4. Certè præposterum esse taliter ut fecit Dominus Pufendorffius juris naturalis fundamentum quærere, inveniet quisquis eâ quâ docet accurate rem pensabit. Id quod curatè satis docet in Lælio suo consultissimus Orator Cicero, & inde provide notat Clarissimus Ziglerus in suis ad H. Grot. notis pag. 12. *A natura & virtute potius, quam ab imbecillitate societas orta fuit* Humanam igitur naturam, utpote, à qua societas orta, ipsa societate quin & socialitate, si non existentia, saltem causâ priorem fuisse oportebit: Qui igitur hæc, quæ posterior naturâ humanâ est, societas & socialitas, ejus quod prius fuit, (naturæ humanæ) fundamentum esse poterit? aut quomodo, quæ ab ipsâ hominum naturâ suggeri debet, circa humanam praxin propositio, in causâ, quæ humanæ naturæ posterior est, quæri feliciter & inveniri dabitur? Suggestiones hæc, connatæ hominibus anticipationes sunt, eandem cum hominibus causam originemque habent; qui igitur, quæ in ordine causarum posterior humanâ naturâ est, socialitas humanæ naturæ in suggestionibus & notitiis circa praxin fundamenti loco subjacere poterit?

Nobis nulla via propior videtur & magis apposita ad investigandum Jus naturale, quam ipsam hominis naturam conditionemque & inclinationes accuratius contemplari, scribit ipse Dominus Pufendorffius de jure naturæ & gentium lib. II. c. 3. §. 14 p. 181. Cur igitur in indagine hujus naturam humanam quæque illam constituunt essentialia primò & potiori loco



non ponit, ut ex rationalitate per quam homo, homo est rationis circa praxin humanam dictamina eorumque rationem investiget? Reverà à regia jamdum via errat & indevià deflectit, quando ab humanæ naturæ essentialibus ad ea, quæ minus propria sunt progreditur, adeoque in hoc juris naturalis scrutinio eodem lib. I. c. 3 §. 15. p. 183. sic scribit: *Ex hisce positis facile est fundamentum legis naturalis invenire. Scilicet manifestò apparet hominem esse animal sui conservandi studiosissimum, per se egenum, sine sui similium servari ineptum, ad mutua commoda promovenda maximè idoneum; Idem tamen sæpè maliciosum, Petulans & facile irritabile ac ad noxam inferendam promptum & validum. Ejusmodi animali ut salvum sit, necessarium est, ut sit sociabile, id est, ut conjungi cum sui similibus velit, & adversus illos ita se gerat, ut ne isti ansam accipiant eum ladendi, sed potius rationem habeant ejusdem commoda conservandi aut promovendi, inde fundamentalis lex natura ista erit cuilibet homini, quantum in se colendam & conservandam ad pacificam adversus alios societatem, &c.*

Quæso Te, Domine Pufendorffii, quam primo loco nominabas hominis naturam in scrutando hoc communi hominum jure, quod illi naturale est, primo quoque loco contemplari & scrutari velis, ut, quâ lege, qua methodo quo ordine factus homo sit ad obeundas actiones suas intelligere rectius possis. Scilicet in fabricâ hac microcosmi maximè admirabili, ex ipsius naturæ lege & ordinatione, ratio quasi in regali throno collocata, in actiones homini proprias regimen obtinuit, sic ut farente Crispo Salustio ad illam ipsam, quam natura in nobis fecit, regulam *animi imperio corporis servitio uti* debeamus.

Quod si autem, ad dirigendas hominum actiones, ipsius naturæ lege, ratio ordinata fuit & constituta, ex ipsa quoque natura

natura taliter dirigendi vim & facultatem habeat necesse est. Quemadmodum enim ex naturâ rei, qui ad visum compositus est oculus, ab ipsa quoque natura videndi potentiam & facultatem habere debet; ita quæ ad regimen actionum humanarum à naturâ facta est ratio, non potest non ex ipsa quoque naturâ, accepisse vim & facultatem, per quam regere & dirigere actiones humanas valeat. Potentiam autem hanc directricem quando accepit unâ cum ea acceperit etiam necesse est certas quasdam notiones, per quas hominum actiones διαφόρως se habentes ab invicem dignosci & ultra oppositarum agenda sit? sciri queat. Vt enim in oculo discretio albi à nigro quædam ipsius potentia visivæ pars est & portio; Ita quoque notiones has per quas actionum discrimina adeoque rerum turpium ab honestis differentiæ innotescunt, in rationis facultate praxeos directiva continentur, necesse est: Sine his enim dirigere actiones ratio nullatenus poterit. Quapropter rationalis hominum natura eâ lege & ratione condita fuit, ut in illo, ad quod facta est, imperio, dirigendi actiones facultatem acceperit, & in hac simul naturales quasdam notiones, per quas honestum à turpi dignosceret. Quamvis autem, si in nosmet descendimus tantum, & præcordia nostra excutimus, ex ipsa quoque ratione appareat, aliquod naturali huic ordini malum obvenisse, unde turbatus fuerit; cum experiundo intelligamus, quàm sæpe corporis appetitus animi regimen antevertat, adeoque hic imperandi felicitatem, ille obsequiam gloriam amiserit; non secus ac corporis alicujus oculus vel senio vel morbo infirmatus, pristinum cernendi vigorem: attamen quando non penitus in nihilum redacta ratio sed viribus infirmata fuerit tantum, aliquam necessum est retinuerit potentiam ad illum, cui natura ordinaverat, usum, sic ut verum à falso

à falso distinguere, & turpia ab honestis discernere vel ali-
 qualiter tantum possit. Quemadmodum igitur qui ex mor-
 bo non periit, etiam si maxime debilitatus sit, oculus, ad eum
 in quem à natura factus est videndi usum aliquales vires re-
 tinuit; ita quoque hæc, quæ mentis oculus est, ratio, quan-
 doquidem non omnino periit, aliquales retinuerit oportet
 vires, ad eum cui naturâ facta est usum, ut verum à falso, ho-
 nestum à turpi distinguat; adeoque ipsas humanas actiones
 dirigat. Quemadmodum etiam oculo taliter passo, quæ
 superest vis videndi, non se exerit, nisi ad vivendum adhibeas,
 adeoque oculum aperias, & rem quæ videri debet conspe-
 ctui admoveas; ita quoque vis illa directrix debilissima, inq;
 ea justici ac injusti notitia, non se exerit nisi rationem adhibeas,
 adeoque propositam actionem consideres. Et hinc aper-
 tum est simul, cur tam rarò & apud paucos sese exserat post
 morbum primævi lapsûs illa dirigendi humanam praxin fa-
 cultas, inque eâ turpis & honesti index? Scilicet quoniam
 voluntas ex pravitate lapsûs non in consilium adhibet ratio-
 nem, ut illa quid agendum sit determinet, sed eam prævenit,
 supprimit & excusso jugo illius id quod sibi lubitum est facit;
 fieri non potest, quin & ratio illam suam vim, quam jamdum
 ex naturæ pravitate difficulter exerit, quam sæpissimè non
 exserat & non ostendat: Etenim & hîc cum ratione humana,
 mentis oculo, ut cum oculo corporis comparatum est. Hic
 ut in naturali sua perfectione, rem visibilem longe facilius
 assequitur, quæ malè corruptum effugit eique non nisi pro-
 prius admoto, & tunc demum per nebulam apparet; pariter
 etiam ille mentis oculus, si malum hoc passus non fuisset,
 directricem illam vim, adeoque honesti turpisve notiones,
 quovis casu facilè exseruisset: at postquam ex primævi la-
 psûs malo sic graviter debilitatus fuit, objectum quod vide-
 re de-

re debet, quàm proximè illi admovendum ut eo modo ipsi
aliquaqualiter & quasi per nebulam appareat. Hoc autem cum
per appetitus pravitatem, tam raro fiat, quid mirum, si hanc
directricem rationis vim inque ea rectè agendi notiones tam
pauci ex paucis experiantur? sic ut integras gentes invenire
liceat, quæ ex male agendi consuetudine in rebus aliquibus
nullo turpitudinis sensu ducantur. Habet quidem & nume-
randi peritia, & argumentandi notitia, ex eo quod humana
natura tulit, detrimento, suas quoque infirmitates, ita ut nisi
cultæ fuerint & exercitæ hæ facultates non secus ac ferrum
rubigine obductum vimque usumque amittant; attamen
longe præ his deteriori loco posita est illa quæ actionum hu-
manarum regina esse debebat vis mentis directiva. Hæc e-
nim præter id quod in se passum est malum obscuritatis &
tenebrarum, ab appetitu insuper pati debet, quando is ratio-
ni se opponit, illam antevertit, inducit &c: ne sensum turpi-
um exferat aut quæ facienda sint quæ non, distincte exponat.
Interim cum, postquã hæc noxa humanæ jam naturæ evene-
rat, homo tamen homo manserit, & id quoque unde homo est,
rationem puta, & aliqualem illius usum servasse oportebit;
Neque directricem hanc actionum facultatem inque ea tur-
pis honestique aliquales notiones & indices negare debet,
nisi qui ex homine beluam facere, interque eos semet quoque
sub tali schemate prostituere præsumpserit. Quemadmo-
dum autem illa, quæ post morbum debilitato corporis oculo,
vis remansit, experiundo potissimum intelligitur, sic ut
qui adhibitus ad videndum oculus, videre aliquaqualiter ali-
quid videatur, retinuisse aliquam videndi potentiam iudice-
tur; ita quoque cum his ratiocinandi facultatibus adeoque
etiam directrice actionum potentia se res habet, ut non nisi
ad usum adhibitæ intelligi, adeoque experiundo innotescere
D re pos-

re possint. Ponamus ergo, ex peculiari quodam morbi genere, omnes civitatis alicujus incolas, oculis sic graviter passos fuisse, ut dubium sit an visum penitus amiserint, an vero tenuem debilemque videndi aliquid potentiam retinuerint? experimento indagari res debet, an, postquam oculos aperuerint eique objectum, quod videri debet, admoverint, aliquid vel nihil videre possint. Et parili modo, cum illis, quæ depravatæ humanæ naturæ remanserunt, in scriptis cordi notitiis, rem instituamus. Percontemur, non ab illis, qui quasi præfractè hunc mentis oculum claudunt, & rationem ad illud, cui natura ordinavit, usum dirigendis sc: actionibus humanis adhibere nolunt; sed ex iis qui juxta naturæ ordinem non nisi ex rationis consilio actiones suas instituere voluerunt; percontemur, inquam, ex his, anne aliqualem in sese turpium sensum experiantur, adeoque notiones quasdam & indices in animo percipiant, per quas actionum aliquarum turpitudinem aut honestatem naturaliter & citra omnem extrinsecus factam institutionem intellexerint? Etenim quid sit in homine, non quisquam rectius quam ipse spiritus hominis cognoscet, neque etiam quænam sint naturæ humanæ superstites vires alius, nisi qui eas in se experitur, testimonium dabit melius. Dicunt autem hoc, quod volumus, testimonium ex omnibus omnino gentibus, quotquot de vitiorum turpitudine & virtutum laude ex omni vetustate monumenta reliquerunt. Nulla enim ex gentibus modo non prorsus ab humanâ mente de generibus, extitit, quæ indifferenter vitia quæque & virtutes haberet, eodemque loco poneret, & Lucretiæ castitatem, & Laidis impudicitiam, Sardanapali mollitiem, & Catonis in omni genere virtutum gravitatem. Neque enim hæc rei turpis à non turpi distinctio, laudis & viuperii, dijudicatio ab aliqua consuetudine more-
que

que gentis pendere poterit, ut virtutis decor ad morem & opinionem popularium placeat, quemadmodum id quod usitatum est, indumenti schema, præ illo quod contra morem & consuetudinem est elegantius habetur, & pulchrius. Uti pulchritudo corporis, ab illius deformitate dijudicatur, uti monstruosus pigmæus, ab elegantioris vultûs formæ que puero dignoscitur, contra omnem omnino ex more gentis opinionem, tantum quia natura hoc discriminis effecerat; ita quoque virtutis decor, à vitiorum turpitudine non opinione gentis, sed naturali quadam notione interstinguitur. Etenim, quæ non nisi ab hominum opinione sunt, pro gentium, temporumque ratione, variant instar vestimenti, quod ad nostrum hodie modulum apte factum nobis placet, aliis gentibus temporibusque displiciturum. Quæ autem fixa sunt & radicata hominum cordibus, ut omni tempore & quocunq; loco valeant, ab ea quæ toties variat hominum opinione fuisse, vero non videtur simile.

Quandoquidem igitur omni tempore, in omni loco, apud omnes omnino gentes, dummodo rationem non penitus excusserint; aliquale discrimen inter actiones honestas acturpes apparuit; notionem illius esse oportet non ab aliqua consuetudinis opinione, sed naturali ratione. Et hæc est illa, quæ post acceptam jamdum noxam, in ratione humana superstes mansit, dirigandarum actionum facultas & discriminandi actiones aliqualis potentia. Quin & quod observari meretur, illi etiam è perversis, quoad institutum naturæ ordinem, hominibus, qui vel ejicere hunc naturalem turpitudinis sensum, vel oculere quàm maximè volunt, quàm maximè produnt sæpius; dum post factum malefacti conscientia anguntur, adeoque quam contra notam naturæ legem egerint, à que natura ipsa hujus peccati pænam

meruerint, verbis factisque multoties ostendunt: Sic ut ipsa etiam experiētiā manifestum fiat, quā fere Divus Gentium Apostolus ad Romanos suos scripserit; esse quādam facinora ob quā commissa etiam gentes ex propriis conscientiis, se morte dignissimos existiment. Etenim si à naturali hacturpis facti notione non fuit, quā causa fuit cur Nero Imperator interfecta matre, sceleris conscientiam ferre non potuit? id quod de eo refert Sveton. cap. 24. & cum eo gravissimè Tacitus Annal. 14. cap. 10. Si à naturali hac malefactorum notione non fuit, cur Caligula eorum quā patrauerat conscientia territus caput obnubere seseque sub lectulum condere sueverat? id quod de eodem in ejusdem vita narrat, jamjam dictus Svetonius. Taceo quod cum Medea ut ut deteriora sequantur meliora tamen & videre se & probare inficias ire non potuerint plures, adeoque hunc quem in semet experti fuerunt honesti turpisve sensum manifesto satis proderint, ostenderint. Ita ut ego putem improbos quosque animam facilius, quam hæc recti turpisve facti notiones & indices ejectionis. Sic in nosmet dum descendimus, præcordia nostra dum scrutamur, quā lege quoque ordine constituta fuerit humanæ naturæ fabrica, dum contemplando penitus intuemur, adeoque in ipsis quæ hominem constituunt essentialibus, homini soli quod proprium, hominibus omnibus quod commune est, jus indagamus, ex illis quæ per experientiam intelligimus & per inductionem Logicam colligimus, notionibus naturalibus circa agenda quædam aut omittenda, legum naturalium fundamenta & principia, meliori forte via quam in deviis illis Pufendorffianis, de connatâ hominibus sociandi lubidine, quæremus, inveniemus. Sed de hoc, in ipsa rationali hominum natura & essentialibus constitutivis quæ-

ren-

rendi officii jurisque humani modo, prolixius egi in epistolica quadam Dissertatione, quàm hac æstate scripsi ad Dominum Richardum Cumberlandum Londinensem Anglum super Philosophica illius de legibus naturalibus Disquisitione. Hæc tantum repetere volui ut indaginis Pufendorffianæ avia inde appareant & quam in socialitate & societate hominum juris humani fundamentum non nisi præpostere collocetur. Et jam dudum antea hoc visum fuit, observatumque iis, qui non minori cum gloria majori certe utilitate naturales has de officiis humanis leges scrutati fuerunt. Sic enim ex ingeniosissimis Anglis apud nos Germanos inclutus Scharokkius cap. 2. num. 10. p. m. 118. *Sunt qui juris universi origine aliunde derivant, nempe à societatis in homine cupidine eaque vel ob impotentiam solitudinis vel periculi metum in animis hominum oriunda. Hic autem societatis appetitus nequit esse fons dictarum notionum neque hujus desiderii impletio, finis judiciorum rectè confirmatorum, de nemine lædendo, fide servanda, gratiis referendis & similibus. Dictamina enim actiones juxta præceptum eliciendas universaliter indicant. Satisfieri autem huic appetitui possit etiam si unam solummodo regionem aut rem publ. benè à te factis demerueris. Pirata & conjurati Latrones suas sibi habent societates inter quas possint magnanimiter à se gesta enarrare quotidie facinora, & proinde isti satisfaciunt cupidini: Dictaminibus autem & judicis de honesto non satisfaciunt, quod quidem liquidissimum videtur argumentum, non adhuc solum finem formari in nobis hæc judicia. Potito enim fine nihil ultra requiritur in mediis, quæ ad finem ordinantur, &c. Cui conformia prorsus sunt quæ juris cujusque Consultissimus Dominus Ziglerus in eruditissimis suis ad Hugonem Grotium notis habet, ad illa verba: Societatis custodia fons est ejus juris p. 6. Facere non possum curis*



Grotio. Dictamina enim recte rationis sunt universalis & diffundere se debent universaliter in quavis objecta. At satisfieri posset huic appetitui si tantum cum una familia aut cum una gente & populo tibi societas fuerit eumque benefactis Tibi demerueris. Deinde & Piratae atque latrones suas custodiunt societates, pluribusque adhuc ejusdem nota sociari appetunt, qui tamen dictamini naturali quod honestatem instillat non satisfaciunt. Neque aliter Joh. Ad. Osiander Duc. Württemberg. in illustri Tubingâ Theologus, observatione in eundem H. Grotium 4. p. 57. Non satis, inquit, accuratè dicitur societatis custodiam esse fontem juris naturalis; præsertim si exclusive hoc intelligimus. Tum quia illa custodia societatis est indifferens ad bonam & malam societatem: quod autem fons juris est & quidem naturalis, illud ipsum non potest esse indifferens, sed bonum & rectum; tum quia qualiscunque societatis custodia est ætior jure natura, & in officiis erga illos etiam qui extra societatem sunt illud se pandit, humanitatem erga peregrinos, misericordiarum erga miseros & alios imperandi. Tum quia fons juris naturalis non potest esse societatis custodia cum jus naturale etiam versetur circa cultum Dei non solum circa proximi amorem, qui in societatis custodiam aliquo modo reduci potest. Melius itaque dicitur fontem juris esse ipsum Deum, qui indiderit homini ejusmodi practica principia: custodiam autem societatis esse aliquod comitans vel stimulans ad observationem eorum quæ principia illa dictant à Deo natura indita, &c. Equidem putaverit forte Dominus Pufendorffius, omnibus hisce satisfactum esse abundanter, quando tantum aliquid ad illum, quem nominat magni operis, prodromum scripsisse se meminit: Nam immortale illud Germaniæ nostræ quæ & Svecicæ gentis decus, Dominus D. David Mævius Tribunalis quod Wismariæ est Reg. Maj. Suec. quondam vice præses gravissimus & prudentissimus in auro

reo prodromo juris prudentiæ communis dispect. 2. § 50. p.
 122. super putato hoc societatis fundamento sic scripserat:
De fonte juris naturalis non eadem omnium sententia est. Sunt
qui datum rectorem societatis humanae credunt, ideo hujus usum
pro fine habent. Non negandum Deum ex sapientissima provi-
dentia humano generi appetitum humanitatis in se vixisse, eique cum
in istam corret prospectum voluisse, multa que ad istam regendam
hominumque animos huic applicandam præceptis naturalibus in-
esse. At quando congenitum primo homini jus ante societatem o-
mnem fuit, & multa istius sunt, quæ hominem extra societatem in-
formant atque observari debent; nec tantum quæ homo homini ut
in societate sunt debet; sed & quæ extra eam decora sunt, aliqua er-
ga semet ipsum sunt, natura, non habita istius ratione nobis indi-
dit, inde & contra naturam, extra illam peccatur; multoque la-
tius honestatis debita se extendunt quam socialia officia, non con-
gruit in eo solum finem ponere. Ex quo etiam absurde conseque-
retur, sine societate jus non fore. Ergone Adam itaque jure ca-
ruit cum alii homines nondum existerent, antequam alii nati sunt?
Ergone homines à societate remoti, ut Eremitæ, vel qui in solitudi-
ne sunt jure nullo astringuntur? Illa ipsa quæ naturalis juris sunt,
ubique in & extra societatem observanda docent, quam nihil es-
sentia finis que vincit ipsi ex hac, quando ante & extra hanc sit &
valeat. Ita Aristoteles sensit 1. Rhet c. 13. Est enim quoddam quod
auguratur omnes naturâ commune justum & injustum, etiam si
nulla societas invicem sit, nulla que pactio, ut Sophoclis Antigone
videtur dicere justum esse interdictum se petere Polynicem quasi
natura id sit justum. Non etiam id nunc & heri sed semper fuit &
nemo scit unde ejus ortus sit, & ut Empedocles dicit de non inter-
ficiendo, quod animatum est: non quibusdam justum est, quibus-
dam vero justum non est, sed hoc quidem omnium legitimum perque
latum aethera omnibus in partibus extensum est perque ingentem
 splen-

Splendorem. Pleraque quidem istius instruunt hominem & societatem & quomodo ad societatem natura aptat & adducit, sic mores sub ea informare voluit, atque ideo isti cultum ejus juris attemperandum esse concedimus; at, ut non sit justum nisi societatis gratia, ex iis non magis congrua collectio est, quam qua fit à potioribus sed non omnibus partibus ad totum. Huic tam egregiæ Egregii Doctoris Disputationi, anno statim sequente, respondere voluit Dn. Pufendorffius in Præfat. lib. de jure naturæ & gentium præmissa, quando sic scribit. Neque vero posito hoc fundamento justò arctiores hujus disciplina videntur limites fore; id quod prodromus magni cujusdam operis arguit: Equidem dicitur jus naturale societate esse antiquius. Verum præterquam quod nihil repugnet obligationem, in altero existere antequam existat objectum in quod illa exerceri possit: etiam effatum Numinis statim atque primus homo conditus fuit, existat; non est bonum hominem esse solum. Dantur sane & officia seu virtutes tum adversus Deum tum cujuslibet adversus seipsum. Verum cum religio, quatenus ad disciplinam juris naturalis pertinet, intra spheram hujus vite terminetur, eo quoque intuitu ad societatem referri potest quatenus illa societatibus efficacissimum vinculum præbet. Et quæ adversus se ipsum homini observanda sunt, eundem utique societati commodiorem reddunt. Quenam autem sit illa morum honestas & innocentia, ubique & extra societatem servanda seu citra reflexionem ad alios homines, dispicere nondum potui. Quod additur; societatem formare & ad eam media applicare in natura arbitrio relictum, eoque si societatis tantum esset jus naturale, fore mere voluntarium, arbitrarium & mutabile: id inane est. Nam natura hominis semper ad socialitatem in genere à Creatore determinata est; sed peculiare constitutere atque inire ex ductu rationis in hominum arbitrio relatum; per quod nullo modo jus naturale redditur arbitrarium.

Quid porro

porro planius est quam hoc; naturam hominis, quatenus à Creatore socialis facta est, esse regulam & fundamentum ejus juris quod in societate tam universali quam particulari sit sequendum, &c. Quidquid autem de hisce responsionibus sibi persuaferit Dominus Pufendorffius, dubito tamen, an nervos rei debitè inciderit; Namque ut quantum subsit viri-um paucis dispiciamus; non spero quisquam negabit, societatem ejusque custodiam, priusquam erant, justitiæ naturalis fontem esse non potuisse; Cum non entium nullas esse qualitates oppidò notum sit. Socialitatem autem, quæ in primis etiam hominibus, ante ipsas societates extitit, an hanc, in quam, socialitatem vel sociandi appetitum natura indiderit, ut norma esse debeat ad quam actiones quæque hominum exigantur, quæque adeò sola, in eo quod naturaliter justum est, obliget, id probare debet Dominus Pufendorffius, priusquam excipiat; *obligationem in altero existere posse, antequam existat objectum in quod exerceatur.* Quàm autem ex illo Numinis estato; *non est bonum hominem esse solum*, sequi debeat, socialitatem & versandi cum aliis appetitum non homini primo fuisse tantum, sed & in regulam fuisse, unde omnes omninò hominum actiones rectitudinem accipiant; in fontem insuper unde, quidquid naturaliter justum, manare oporteat, id fateor me non capere & intelligere. Non esse bonum, aptum, conveniens aut rectum, ut sine thori socia monachus vivat homo, sententia est primi Conditoris D. T. O. Maximi. Qua autem quæso, *à quò dei* ξ *et* indefluit; quod aliquis in primo homini societatis sit appetitus, omnis justitiæ naturalis fons, & recte cujuscunque regula? *Dari officia seu virtutes, sive adversus Deum, sive adversus se ipsum, præter ipsa quæ sunt adversus societates,* quum concedit naturalium legum Doctor, ostendat

E

etiam



etiam oportet quam illa non nisi ex societate virtutum aut officii humani rationem accipiant, sicut Religio adversus Deum, castitas adversus se ipsum se officialitatis, ut ita dicam & virtuositatis essentiam inde habeant, quod ex Socialitate, id est, sociandi appetitu in societatem illiusque custodiam & salutem acta fuerint. Certè, vero per quam apparet simile Religionem, quæ virtus est & officium hominis erga Deum, jamdum fuisse, priusquam societatis vinculum esse inciperet; cum Adam hominum primus religens erga Deum ex humanitatis officio esse debuerit, etiam tum quando illius religiositate, tanquam vinculo societatis futuræ, opus nondum erat. Quod igitur cum Religio societates vincire nondum poterat, ipsa tamen à socialitate virtutem suam & esse officialitatis, ut sic dicam, humanæ, habuerit, id utique evidentius probandum erit. Multa enim non nisi in societate fiunt quæ tamen inde rationem essentiaæ suæ prorsus non habent. Pariter *qua adversus se ipsum homini observanda sunt eundem utique societati reddunt commodiorem*, id quod ex vero dicit Dominus Pufendorffius: an autem ex ipsa hac societate vel socialitate rationem officii & virtutis humanæ habeant? id cogitandum est quam maximè. *Morum honestas*, uti pergit, *& innocentia extra societatem* (hodie præsertim) *non servatur*, adeoque *non est contra omnem reflexionem ad alios homines*; at enim neque necessum est, ut sine quo aliquid non fit idem statim rationem & causam illius constituat. Cogitet enim, annon in ipso innocentiaæ statu, à primo nostro & communi hominum parente honestas & innocentia extra societatem servata fuerit, adeoque quàm id quod factum est semel, fieri possit, & factibilitatis, ut scholæ loquuntur, rationem habeat, secum expendat. *Quod si socialitatis tantum jus natura esset, voluntarium, arbitrarium, atque mutabile, idem esse oportet*

oportere; illud non sicuti id putat Dominus Puffendorffius inane est penitus. Posito enim quod natura hominis ad societatem in genere determinata sit à creatore; at tamen cum societates naturales & perfectiores quidem illæ in quibus appetitus socialis acquiescere potest, diversæ etiam sint, neque ad certam aliquam determinetur homo, ut ut naturæ socialis; sequitur, pro societatum varietate ipsum jus naturæ, si id non nisi societatis est, variare; sic ut pro diverso societatum statu eadem hominis actio honesta & turpis licita vel illicita esse debeat. Sic prorsus non ea quæ id fortè à pluribus speratum fuit felicitate viam invenit Dominus Puffendorffius, unde nobilissimæ disciplinæ adita penetrare tutò possumus: Utinam autem erratum fuerit tantum! non etiam periculosè erratum in hoc, quod omni omninò virtuti & honestati supposuerunt juris naturalis fundamentò! tolerari error, quem hominum nemo alienum à se putare debet, facilius potuisset & eo quidem debuisset potius, quò ipsa doctrina intricatior est, & abstrusa magis. At enim sit Hobii Londinensis Anglicani, Doctoris Philautia suiq; amor & benevolentia, si fundamentum juri naturali subvertitur, cum impietate & turpitudine conjuncta, quin ipsius juris humani eversiva; non minus fortè malum est quod à Puffendorffiano socialitatis fundamento timere debemus. Namque quod juris Naturalis consultissimus Orationator * in quæstione, an ex utilitate virtus sit æstimanda? asserit; *unicam esse virtutem oportere quæ malitia dicatur, si emolumentis non suapte natura expetitur;* idem ego in hac quæstione, an socialitas naturæ & societatum custodia juris naturalis fons fuerit & fundamentum? dicere habere me, mihi videor. Ut enim quisque magis ad commodum societatis retulerit quæcunque egerit, ita magis Vir bonus &

* Cic. lib. 1. de leg.



juris naturalis observans erit æstimandus. Spoliaverit igitur aliquis è latronum societate innocuum inulto auro, quin & non bonis tantum sed, quia hæc sola amittere noluit, ipsa etiam vitâ privet, modo hæc in societatis emolumentum fecerit, ex jure naturæ secundum virtutem fecisse dicendus est. Viderit in societate sua aliquis civium hominumque penuriam eamque publico noxiam, utque illi malo medicinam faciat, foeminas promiscue ineat, non libidinosus scortator dici debet, sed, ut virum bonum id decet, ex naturali lege in emolumentum reipublicæ bene egisse. Quin imò, occidat indicta causa & impune quem voluerit civium, is qui reipublicæ summam tenet, modò id societati conducere opinionem faciat, non jam ut Tyrannus vituperari, sed ut legis naturalis societatibus, custos laudari debebit. Certè si hæc de moribus judicia quæ Deus animis hominum imposuit à socialitate suam sortiri debebunt normam adeoque societatum custodia fons fuerit, unde leges naturales quæcunque manant, prout quisque in alia vel alia societate vixerit eandem actio aut bona aut mala dicenda fuerit, nec integrum debitum super illâ judicium, nisi prius de statu reipublicæ, in qua vivit actor aut de mente illius & intentione constiterit. Fuerit aliquis vage libidinatus & vel centum virginis honestas etiam per violentiam & vim impregnaverit, nisi de reipublicæ in quâ vivit, statu certior fueris, mentemque illius an forte in societatis iuæ emolumentum sic fecerit; super turpitudine facinorum judicare non poteris. Prædatus quisquam fuerit quàm immanissime nisi in salutem publicam prædam non fuisse conversam noveris, super prædandi hac atrocitate perversè judicaveris. Laudem igitur ex juris naturalis convenientia merentur Romani Sabinorum genti dum virgi-

virgines rapiunt. Tu Reipublicæ enim & societatis suæ æmolumentum ita egerunt. Laudem merentis filia ex Lotho nata cum horrendo penitus scelere patris concubitus sollicitant. In humanæ enim societatis incrementum genitale semen ex eo qui genuerat quæsiverunt. Ita in Societatis Regulam transformatum jus naturæ non ullum infanti sceleris tam detestabile nomen invenerit quin in virtutibus id locare perquam facile possit. Superstruantur jam huic, quod sic feliciter jactum est, fundamini reliqua Pufendorffiani operis asserta, forte ἀθεοτάτης Vanini amplitheatrum naturæ hinc ædificabitur, in quo virtutum omnium personas agent immanissima quæque vitia & scelere.

Grande impietatis argumentum non immerito putatur, quando Londini in Anglia Hobbesius Evangelium Christi cum ipsa religione à civilis potestatis autoritate suspendit adeoque Novi foederis sacrosanctam scripturam inibi tantum legis vim obtinere dicit, ubi à civili potestate eam obtinuerit, Leviathan. cap. 24. Hanc enim rationem accuratæ eruditionis Baronettus in Anglia Dominus Carol. Wolsolæus primo loco ponit cur eas quæ gradatim nos ad atheismi extrema duxerint & omnimodam à Deo apostasiam infeliciter promoverint, quando verbis equidem plusculis, sed quæ legantur dignissimis in suo de Atheismo irrationali eruditissimo libello ex versione quam Vir Juvenis πολόγλωττης & πολυμαθῆς Dominus M. Hinkelmannus nobis nunc parat, sic scribit: *Primo enim: Religionem omnem humanæ auctoritati superstruere & à potestate voluntateq; hominis derivare, tandem per necessariam consequentiam in destructionis omnis cultus divini tendit hominemq; omni religione abducit. Divinam si Religionem demamus auctoritatem, optimum ejusdem nos produisse munimentum*

mentum id vero credas certissimè. Nullo certe alio argumento conscientiam hominis ipsi alligabis. Quid si nulla conscientia obligatio, labascunt omnia & cuius arbitrio humano succumbunt. Id unicum profecto si concedatur, nullam inesse scripturis auctoritatem præter eam quam à civili potestate accipiant, eò ipso plane nullam habere infallibiliter sequetur. Nec potest quicquam Atheo Religionis fundamenta concussuro, arridere magis quam ejusmodi hypotheses. Annon eadem plane ratione qua Idolis, eorumq; cultui nunc Religioni tanquam divina rei se addicere juberentur mortales? Qui ubi tandem vident nihil hoc esse, seu plane non existere, quod adorant, quin humani potius artificii ligni alicujus aut lapidis particulam, in quo nihil præclari, nisi quod ab humana accessio manu; nullam præterea habere intrinsecam dignitatem, nisi eam quam addixerit voluntas hominis; mox omnem eidem reverentiam omnino denegabunt. Periculosa proinde & religioni apprime noxia necessariâ tandem consequentiâ sunt assertiones ejusmodi. Est tale quid vero inter plura alia in Scriptore satis celebri Apostoli, dicente, consensu & ope potestatis summæ civilis, scripta sua nequaquam obligatorie canonica facere poterant indeque scriptura Novi Testamenti unice quatenus à Potestate civili recepta legis loco est. Hobbes. Leviathan, cap. 24. p. 285. Et expressius cap. 38. Impossibile est rempublicam consistere in quâ major retributio & punitio inculcetur quam circa quam potestas summa dispensare possit, qua præsentem suam spectat vitam & mortem. Unde subjungit: vitam & mortem æternam que majoris sint retributionis & punitionis talia esse, quænt quid significant intelligas, multâ consideratione opus habeant. Concludit tandem circa ultima capitulis: Homini in punitione vitam æternam contingere debere, sine ullo credi fundamento. Quæ omnia exacte respondent definitioni Religionis, quam tradiderat ipsemet in principio istius libri cap. 6. ubi ita: Religio est merus potestatis in visibilis in mentibus hominum

minum efficta aut fabulis publice enarratis, impressa. Sequetur primo quod ad scripturam non posse Evangelium in aliqua gentium republica legaliter & obligatorie predicari. cum ubi legis vice non fungatur, nec tanquam lex justè proponi possit. Deinde omnis, hac talia edoctus, ut credat esse potestatis cujusvis Reipublicæ, Evangelium ut habeatur Authenticam seu minus, omnem necessario ipsi detrabet honorem divinum, parumq; seipsum devorione inde oriente turbabit. Ita ut ejusmodi principia hominem directè tandem ad Atheismum deducant, magnoq; applausu ab omnibus accipiantur quorquor hanc oberrant viâ. Hanc namq; ratione ubi omnis religionis ortus & interitus à civili & humana authoritate deducitur omnisq; ipsi inhaerens potestas à visibili mundo derivatur, omniaq; hac præterea merè fabulosa, taliaq; Phantasmata, quæ homines stolidè sibi ipsis effinxerint & conceperint, esse creduntur: qui poterit Atheus sibi ipsi inservire melius quam ubi omnem Religionis omnis divinitatem plane negat & gravia humanae mentis onera (aeternam retributionem & punitionem) secretò tollit abjicitq;. Est ergo eritq; ultimus tandem dogmatum horum finis certo, homo nihil ut credat, liberrimeq; vivat.

Quis autem in ecclesia quæ Dei Domus est circumspicte ambulans non æquale malum timere debet ab illis Pufendorffii novitatibus, quando super hoc tot cuniculorum fundamento de Socialitate hæc struit asserta: Religio quatenus ad disciplinam juris naturalis pertinet, intra spheram hujus vite terminatur, in illa quam operi præmisit ad lectorem præfatione.

Item. Expediit ut publice civitas ejusmodi doctrinis velut personet quæ cum fine & usu civitatum congruunt, simulq; animi civium à puero istis imbuantur, &c.

Quidquid enim de mente sua protestetur Pufendorffius cum non ex dicentis animo sed communi loquentium usu signifi-

significant verba; si, ex eo quod jactum est fundamento, Societatis Regula fuerit jus naturæ, & ad illius disciplinam Religio intra sphæram hujus ortæ terminatur, jam non video quid reliquum maneat religioni, nisi quod Athei & Empectæ omnes sponte ipsi largiuntur, ut sit vinculum rerum publicarum, prætereaque nihil. Cum hoc igitur fine & usu civitatum si congruit religionis, cujusunque demum sit, doctrinas cum publice expediat & naturalis juris sit, civitas personare illâ debet, simul, & circum animi à puero illa imbui. Sit igitur damnable Mahummedana inter Turcos Persasque religio; at enim quandoquidem cum fine & usu imperii & civitatis congrua & pro felici illarum societatum custodia firmum reipublicæ vinculum fuerit utique ex jure naturæ jus est ut cives illa imbuantur. Sit gentilis Chinensium, modo reipublicæ & societati conveniat ex jure naturæ illarum terrarum incolis sanctè teneri debet,

Quin sit penes latronum furumque societatem, qualis esse in Insula de los Ladrones fertur, impia quoque & contra honestatem religio; quia tali societati esui est, jam ex naturali jure neque cum optima Christianorum commutari debet. Ex his igitur taliter positis & universis à Domino Pufendorffio non male se habebit & Societas & Religio ferorum Sylvestrium in Hybernia hominum de quibus Lansius contra Britanniam p. 58. *Latrocinia apud eos nullam habent infamiam quantumvis habeant plucimum crudelitatis & latrocinaturi preces ad Deum fundunt ut prada offeratur & prædam pro munere à Deo oblatam arbitrantur; neque vim neque rapinam neque homicidium Deo displicere religiosè persuasum habent. Audire est à sicariis & incendiariis, Misericors est Dominus & non sinit pretium sui sanguinis in me irritum. Quin patrum sevesignis insistere dicunt & eam sibi vivendi rationem reliquam esse*

esse; Nobilitatis sua autem infamiam esse si velint ex labore manuum victitare, & à facinoribus abstinere. Ecquid autem promovendæ impietati & ἀδυσία cui libet convenire magis poterat, quam sic abjecte de religione loqui eique divinam auctoritatem, quam ex naturali jure in gentibus etiam sapientioribus habuit subtrahere? Certè quæ in Hobbii ἀδυσία novitates jamjam dixerat eruditissimus Dominus Wolfelæus non possunt non in Pufendorffii assertiones dici omnia: & jam animus hæret utri impietatis palmam porrigere debeam num Hobbio quando is scribit: quod sive Prophetia sive Scriptura quenquam obligent illud habent à civili potestate. Scriptura neminem obligat ad obedientiam; neque aliquis cui non sunt supernaturaliter revelata (qua in re standum est principis judicio) ulla auctoritate præter civilem ad obedientiam iis præstandam tenetur, &c. An verò potius Pufendorffius quando post jactum socialitatis vel societatis fundamentum asserit: Religio quatenus ad disciplinam juris naturalis pertinet intra spheram hujus vite terminatur. Expediit ut publice civitas ejusmodi doctrinis velut personæ quæ cum fine & usu civitatum congruunt, simulque animi civium à puero istis imbuantur, &c. Uterque enim id quod in Religione etiam ex naturali jure & rationis dictamine præcipuum est auctoritatem divinam tollit; qua sublata

Non jam religio non numina magni
Pendentur

Nempe, id quod de Hobbio dicit is quem jamdum antea laudavi Sethus Wardus: Religionis Christiana inimicus est ille qui regulam pervertit ejusque auctoritatem minuit aut tollit; qui Christianorum ecclesias perturbat, qui exercitium religionis istius spirituale ex hominum animis evertere conatur; atque ista etiam singula communem quondam & reciprocam habent ἐπέπεια unoq; eorum

F

eorum

eorum existente reliqua sequentur. Adeo non vana penitus fuerit cautio, ne ex hisce malè sanis effatis gradatim cum Hobbio procedat Pufendorffii Philosophia, tandemque cum priori etiam affirmet; *Religionem ex metu potestatis invisibilis in mente hominis efficta aut fabulis publice recensitis impressa oriri*, Leviath. cap. 26. Sic ut circa religionem, ejusque curam vel neglectum utriusque fidei confessio postremo eveniat: I believe that the Books of de old and New Testament are not made Canon and Law, but by the civil Powers; that what sauer is written in these Books may lawfullij be denied even upon Oath Caserthe laudable doctrine and practice of the Gnosticks) in times of persecution When men Phat be the menache of Authority &c. i. e. *Credo libros Novi & Veteris Testamenti nunquam canonicos aut obligantes nisi accedente potestate civili esse posse, quin & quidquid in istis libris scriptum licitè & legitime etiam sub jurejurando negari posse (pro laudabili nempe more & doctrina Gnostico-rum) tempore persecutionis, & ubi homines ab autoritate Magistratus minis urgentur &c.* uti hoc fidci Hobbianaè Symbolum ex libris ejus contraxit Thomas Thenison in the creed of Mr Hobbes p. 8. At enim moralis Philosophiæ Doctorem Londinensem in Anglia cum Londinensi in Scania adhuc in uno componemus, ut quam uterque in juris naturalis scrutinio infelix fuerit, quamque adeo ab utriusque novitibus cavere sibi habeant ecclesiæ & respublicæ Christianæ, adhuc evidentius appareat.

Periculosissimæ res alex erat, quando Anglicus vel Diabolicus magis in Anglia Doctor docebat; *nihil absolute bonum aut malum neque regulam esse ullam communem Boni aut Mali à natura objectorum petendam verum à persona, ubi res publica non est; vel in Republ. à magistratu L. cap. 6.* Sicut ad hæc illius

lius verba non immerito taliter indignetur, is quem jam-
jam adduximus Reverendissimus Sethus Wardus epistolica
sua exercitatione ad D. Joh. Wilkinsium sect. 5. cap. I. p. 286.
Tu forsitan existimas me vi quadam ista extorquere neque cum
(Hobbium) inter Christianos enutritum tam crassum aut absur-
dum esse posse. Quis honesta familia institutus & educatus inge-
nuè, non ipsa turpitudine, etiam si eum laesura non sit, offenditur &
quis animo equo videt eum quem impurè & flagitiosè putet vive-
re? inquit Cicero Ethnicus ex face Romuli. Judicet autem qui
pius simul & prudens est, annon æqualis periculi sint, præ-
fertim si ex communi usu apud incautos accipiantur verba,
illi quod in socialitate posuit fundamento, superstructa,
quæ sic in Pufendorffii lib. I. cap. II. §. 6. p. 25. habent. Hanc
quidquam necessarium arbitramur cum nonnullis statuere quadam
per se citra omnem impositionem esse honesta aut turpia. Cum
enim honestas sive necessitas moralis & turpitudine sint affectio-
nes actionum humanarum orta ex convenientia & disconveni-
entia à norma seu lege, lex vero sit jussum superioris: non apparet
quomodo honestas aut turpitudine intelligi possit ante legem & citra
superioris impositionem, &c. Nec multo post: p. 26. 22. Adul-
terium est pollutio uxoris alienæ quam leges soli marito suo addi-
cebant. Furtum est attractio rei alienæ invito Domino quem
leges solum ejus arbitrum volebant. Homicidium est cades homi-
nis innocentis & contra leges. Incestum est commixtio cum tali
persona abs qua leges abstinere jubebant ob reverentiam quam vi-
cino sanguini homines iidem ex lege debent. Sic de aliis quæque
judicandum. At sane si ex his omnibus removeas respectum ad
legem in ipso actu physico nulla implicatur contradictio propter
quam ipsa etiam circa legem necessario turpia intelligi debeant.
Hoc enim non modo utique indifferentia sunt: misceri cum illa quæ
origini tuæ naturali proximè junctæ est misceri eidem, cui misce-
tur



tur & alter, cui tamen in eam nullum peculiare jus competit; eripere vitam ei, qui similis tecum est speciei: sumere rem quam alius in suos usus destinaverat, cui tamen nullum jus per leges datum erat reliquos inde excludendi. Quod autem multi naturalem istam indifferentiam agrè concipere queant inde est, quod à teneris istorum vitiiorum detestatio nobis fuit inculcata, qua opinio simplici ad huc menti impressa in vsm naturalis cujusdam affectus videtur invaluisse. Vnde apparet non satis expendisse hanc rem Grotium de J. B. & F. L. c. 1. §. 10. dum inter illa ad qua divina se potentia non extendit, eo quod contradictionem involvant, refert malitiam quorundam actuum humanorum. Equidem non possunt non bis duo esse quatuor qui bis duo & quatuor re ipsa sunt unum & idem, vocabulis tantum differunt aut modo concipiendi, manifestissimas autem contradictio est idem simul esse idem & non esse idem. Ast talis sane contradictio non apparet in actionibus juri natura adversantibus, &c. Equidem qui cautè & cum cura explicationem horum ἀνεπιτήδεον Φοβητικῶν leget, videre poterit quam ex impositione legis divinæ turpitudinem & honestatem vitia & virtutes accipere debuerint quamq; adeo fixum Pufendorffio sedeat discrimen honesti & turpis à Deo ejusque definitione & determinatione esse petendum uti de mente sua testatur apolog. p. 36. sic ut ex hac ex positione multum emolliatur sermo qui, prout jacent & sonant verba durus erat nimium. At enim neque negandum est, vulgo, quo cum loquendum, id quod ex impositione est, opponi illi quod taliter ex natura illiusq; lege habetur, ita ut quæ ex impotitione significare dicuntur voces non ex natura sed placito & consensione significandi id habere videntur ut loquitur Augustinus de Doctrina Christian. l. 2. c. 24. id quod etiam ab ipso Domino Pufendorffio lib. 4. c. 1. §. 4. p. 383. prolixè fuit ostensum. Quandoque igitur Scholæ talibus personant doctrinis:

Quod

Quod per se & citra omnem impositionem non sint honesta aut turpia; quod utique indifferentia sint misceri cum illa qua originis sue naturali proximè junctæ est: misceri eidem cui miscetur & alter: eripere vitam ei qui similis tecum est speciei: sumere rem quæ alius in suos usus destinaverat, &c. quæso judicium (quo Teni nisi id affectus abstulerint pollere novi) ipsemet excute, an vana fuerit cautio ne forte sicut nummi & linguarum vocabula, ita quoque virtutes & vitia ex impositione valere credantur, adeoque non id quod habent turpitudinis aut honestatis per se ex illa quæ naturalis homini est lege & ordine; sed ex hominum placito & consensione habere præsumantur; sic ut non eadem omnibus honesta atque turpia, sed omnia ex majorum institutis judicari debeant neque Cimoni summo Atheniensium viro, quia cives reliqui eodem instituto utebantur, turpe fuerit sororem germanam in matrimonio habere, ut ut illud Romanis moribus nefas haberetur ceu scribit Corn. Nep. in Præfat. ad Vitas excell. Imperator. Quæ quidem sententia nisi eadem prorsus, non multum differet ab Hobbii; Quod nihil absolute bonum & malum neque regula communis sit ulla Boni aut Mali à natura objectorum petenda verum à personis ubi respublica non est sive in republica à magistratu.

Ponamus autem, quod fortè promiscue expectandum non fuerit, lectores & auditores tuos quoscunque rem ita accipere ut intelligant divina impositione non humana aliqua consensione virtutes honestas, vitia turpia esse facta; ex illo tamen Tuo vel societatis vel socialitatis fundamento hæc tua doctrina absque pessimis consequentiis intelligi non poterit.

Etenim si quod divinum est jus naturæ non quidquam aliud nisi Societatis Regula fuerit; si Deus non nisi societati hominem destinaverit, ordinaverit; ab hac societatis regula



gula, quam Deus unicæ humanæ naturæ imposuit & turpitudine omnis & honestas omnis pender videbitur; sic ut societati quod convenit pro virtute & honesto, eidem quod adversatur, pro turpi & vitio haberi debeat.

Agito ipsum Pufendorffii ratiocinium iisdem illius verbis instituto nostro applicemus. Sic is pro sua non nisi ex impositione turpitudine argumentatur: *Cum honestas sive necessitas moralis & turpitudine sint affectiones actionum humanarum orta ex convenientia aut disconvenientia à norma seu lege; lex vero sit jussum superioris, non apparet quomodo honestas aut turpitudine intelligi possit ante legem & citra superioris impositionem* cap. 2. §. 6. p. 25. Ad eundem pariter modum:

Cum honestas sive necessitas moralis & turpitudine sint affectiones orta à convenientia vel disconvenientia à norma seu lege; norma vero prima sit ingenita mentibus socialitas, ad quæ fieri omnia ab homine debeant, non apparet quomodo honestas aut turpitudine intelligi possit citra hanc legem & societatis impositionem. Quia ratione igitur (adhuc cum Pufendorffio loquor) actioni hominis possit competere aliqua affectio quæ ex necessitate intrinseca & absoluta citra hanc socialitatis regulam ex Dei beneplacito homini impositam promanat; sic ut revera omnes actiones hominis, remota unicâ hac socialitatis humana lege & norma, sint indifferentes, earum autem aliqua ideo tantum naturaliter honestæ aut turpes dicantur quod eas fieri aut omitti quam maximè requirebat societatis conditio.

Judicet autem qui rem rectè intelligit anne proximè convenient hæ assertiones, hæc quæ ex Pufendorffii principio & ratiocinio sequitur: *Revera omnes actiones hominis remota unica societatis regula sunt indifferentes; earum autem aliqua ideo tantum naturaliter honestæ aut turpes dicuntur, quod eas fieri aut omitti quam maximè requirebat societatis conditio, &c.* Ec

Et illa Hobbesii: *Nihil absolute bonum est aut malum neque regula ulla communis Boni aut mali à natura objectorum petenda, verum a personæ respública non est; vel in re publ. à magistratu.* Ita jam commune pro utroque Londinensi Doctore Symbolum fidei denuò fuerit: I believe that the Law of the civil: sovereign is the only obliging Rule of just and unjust; Credo quod lex civilis Potestatis unica sit obligans regula justæ & injustæ uti id denuò ex scriptis Hobbianis: pro Hobbio formavit, quem jamdum laudavimus Thomas Tenison in the creed of Mr. Hobbes p. 7. Quid autem ad pietatis & probitatis cujusque eradicationem talibus assertis possit esse efficacius ego certe invenire non possum.

Quod si enim ex se & natura sua turpe aut honestum nihil fuerit sed ex naturali ordinatione ex regula societatis humanæ rationem sortiri debet, utique, quod alicubi dicit Cicero, *unica tantum virtus erit quæ malitia dicenda.* Non enim tam præstans virtus esse poterit ex qua non pro ratione statûs socialitatis pessimum vitium neque tam horrendum malum, unde non præstantissima virtus quandoque fiat, sic ut, modo id civitatis publicæque salutis ratio poscit, castitas inter vitia abjici volgiva venus in virtutibus reponi & collocari debeat.

Vidimus hætenus novum hoc Puffendorffii dogma, in eo quem communiter verba gignunt, apud incautos præsertim sensu; vidimus idem super eo cui impositum est socialitatis fundamento: agito, quam fieri potest paucissimis, ex ipsa in qua adhuc perstat Puffendorffii mente illud ipsum introspeciemus. Sic enim in ea quam facere voluit excusatione sua in excusabili p. 36. scribit: *Id mihi fixum sedet discrimen honesti & turpis utique à Deo ejusque definitione & determinatione esse petendum nec idem ab alio extra ipsum*
prim.

principio dependens fingendum esse. Quo posito consequitur neces-
 sitatem illam quae actionibus ad honestatem & turpitudinem tribu-
 irur non esse absolutam sed hyperbolicam, supponentem nimirum
 creationem animantis rationalis quam nemo est qui liberrima
 Dei voluntati adscribat. Id est quod quaedam dicantur necessa-
 rio honesta aut turpia homini hoc semper est intelligendum cum
 relatione ad naturam hominis tanquam animalis rationalis & soci-
 alis & consequenter cum relatione ad voluntatem Dei qui uti omnia
 ita & hominem & quidem tale animal liberrima voluntate sua
 creavit. Cui conjunctum est ut si consideremus actiones homi-
 num prout sunt nudi motus facultatis alicujus physicae aut ejusdem
 negatio antecedentis ad legem, abstrahendo ab omni lege circa
 eum motum aliquid disponente esse indifferentes i. e. neque bonas
 neque malas, bonitatem autem & malitiam quae in illis deprehen-
 ditur oriri à convenientia & disconvenientia cum lege. Certè
 quanta etiam cum cura ex his verbis mentem Pufendorffii
 expendo non video quid magnopere interfit inter effata
 hæc illius & Caramuelis Probabilitatum olim & eheu quàm
 sæpe improbabilium famigeratissimi Doctoris. Cara-
 muelis in hac quidem materiâ hæc erant asserta: Multas
 præcepto divino reperiri interdicta quae præcisa à præcepto dici
 debeant indifferentia. Peccatorum contra naturalium unum
 quodque seclusa Dei interdictione nunquam fore malum. Tu ju-
 dica benevole lector, quantum ab his differat Pufendorffius,
 quando in sua Apologia scribit; Actiones hominum antece-
 denter ad legem, seu abstrahendo ab omni lege sunt indifferentes
 neque bona neque mala. Bonitas & malitia quae in actionibus ho-
 minum deprehenditur oritur à convenientiâ & disconvenientiâ à
 lege. Quod quaedam dicantur necessario honesta aut turpia homi-
 ni hoc semper est intelligendum cum relatione ad voluntatem Dei,
 pag. 16. Certè abstractim à placito instituto voluntate &
 lege

lege seu præcepto divino consideratas hominum actiones indifferentes id est nec bonas nec malas esse tam Pufendorffius quam Caramuel asserit, adeoque ex se & natura sua curpe quid vel honestum esse uterque negat. Quod igitur, citante eruditissimo Domino Ant. Reifero * in caramuel aliquando scripsit Sirinichius Professor Lovaniensis id eodem modo in Pufendorffium dici quoque potest: *Cum hæc omnia contra naturalia peccata sunt eidem infima species procul dubio censeat id quod de Mollitie signate præmiserat in cæteris secundum specificam suam naturam spectatis habere pariter locum; atque adeo unumquodque eorum seclusa Dei interdictione nunquam fore malum sed sæpe bonum & aliquando sub mortali peccato obligatorium, speravit fortassis non de futurum aliquando quempiam qui imitando serpentem aut cum dicturus foret de hisce flagitiis quod ille de lignis Paradisi: cur præcepit nobis Deus ne oblectemur nos mollitie? cur nobis invidis recreationes tam volupes natura sua minimè malas sæpe etiam bonas imo & necessarias.* Quandoquidem autem, eodem quem modo laudavimus iudice Domino Reifero male factum existimari non debet, quod hæc Caramuelis Sodomitica & atheistica verè opinio publice proscripita & damnata talique nomine ultimâ indicis librorum prohibitorum Editione notata fuerit; Quis Evangelii purioris præconibus & ecclesiæ verioris Præsulibus vitio vertere poterit si forte super hac Pufendorffii doctrina monitorios tantum indices confecerint quin & postea penitus eam quoque proscripserint & damnaverint. At enim quibus utatur demonstrationibus has ut novitates probet, Id jam nunc proximum nobis erit ut dispiciamus.

In tractatum dogma invaluisse ut quæ lege natura præcipiuntur aut vetantur in se & sua natura honesta aut turpia habeantur scribit ipse Pufendorffius p. 35. Non Grotium solum sed plerosque ex nostratum Theologos istam assertionem citra ullam

* Reif. epist. disert. de Atheism.

G

dubi-



dubitationem passim assumere fatetur p.36. Quin dubium mihi non est hanc de honesto & turpi sententiam omnibus in universum sic communem esse ut quæ contraria ei opponitur pro paradoxa in omni omnino Christianitate haberi debeat. At quantam oportet esse ἀποδείξεως illius evidentiam, quæ veteres movisse terminos voluerit, & receptam communiter sententiam sedibus suis & illis quidem antiquissimis ejicere. Utique creditum fuit hætenus communem aliquam omni naturæ rationali esse justitiam perquam non humanæ tantum sed & angelicæ quin divinæ etiam actiones justæ dicantur & bonæ. Hæc communis Deum inter hominesque justitia non ab aliquo placito, impositione & voluntate divina, essentiæ suæ rationem habere poterit. Sed illam ex se & natura sua abstractim ab omni lege, & impositione considerata obtineat necessum est. Sic, ut in exemplo res pateat, veritas in dictis factisque communis est quædam rationalis naturæ adeoque ad ipsum quoque Deum pertinens justitia & bonitas, habetque hanc suam bonitatem non ex voluntate & impositione ulla etiam divina sed ex se & sua natura, contra omnem etiam legem considerata & omni impositione abstracta. Sic absque peccati cujuscunque intuitu aliquem in extrema conjicere tormenta injustum est injustia communi apud Deum, angelos, homines & hanc justitiæ rationem habet etiam abstractum ab omni voluntate, impositione, & placito etiam divino, sic ut dicam injustum hoc esse ex se & sua natura, non propterea quod Deus hoc injustum esse voluerit justum esse noluerit. Cû hac igitur cõmuni rationalium justitia convenientes vel pugnantes actionũ humanarum species justæ aut injustæ honestæ aut turpes erunt, non propterea quod Deus taliter illas esse voluerit, honesti turpisve rationem ex placito & voluntate illis imposuerit; sed quod hanc rationem etiam ab

abstractim à voluntate & impositione divina considerata, adeoque ex se & sua natura habeant. Et ex hac communi rationalium justitia fluxisse illud quod naturaliter justum est communiter fuit putatum, sicque in tralatitium dogma invaluit, ut qua lege natura præcipiuntur aut verentur in se & sua natura honesta aut turpia esse; qua vero positiva, per voluntatem & imperium legislatoris talia fieri dicerentur, ut ipsis Pufendorffii verbis rem eloquar. Quandoquidem igitur novaturieris hic Doctor inveteratam in Christianitate opinionem tollere & communi antiquissimoque dogmati adversum docere volebat; unum ex his evidenter primum ostendere debuisset, vel quod justitiâ ejusmodi naturalium communis nulla sit; vel quod naturaliter justum ex hac communi rationalium justitia non fluxerit. Certe enim accuratioris scrutinii sunt quæ in hanc rem habet Scharokius quando in præfatione sua sic scribit: *In questionibus de justitia Dei ad rectam de Deo sententiam indispensandam facere videtur, imo necessariam esse hanc hypothesein; quoties enim quaestio est an Deus secundum justitiam aut bonitatem quicquam possit efficere, veluti, An justum sit, eum aliquando decernere, Titium in extrema conjicere tormenta, absque peccati cujuscunque vel præteriti præsentis aut futuri intuitu? An non tantam deceret majestatem universum in virtute & felicitate tueri mundum, cum sine periculo, damno aut molestia sua facere possit? An possit, quos fecit, ut in rerum natura essent non diligere, & summis prosequi amoris affectibus? In his & cæteris hujusmodi problematis certissimum videtur, quod si nulla sunt (quod Hobbesius censuit) naturæ leges, aut naturalia justitiæ principia, commode cujuscunque proprio & voluptate exceptis, consentaneum fore, Deum contra justitiam aut bonitatem naturalem peccare non posse etiamsi quod placuit, quomodocunque fecerit. Qui cogitant aliquas esse naturæ leges (cæ-*



teri autem ab Hobbesio & Epicuro omnes qui qualicumque digni
 sunt aestimo id cogitare videntur) actiones supra memoratas, aut
 malas esse injustasque, aut honestas bonas & summo DEO dignas
 aestimant: qui injustas esse contendunt, illud sibi plerique impri-
 mis quasi postulare vere videntur DEUM, angelos, homines, atque
 omne ens, intellectu prae ditum eodem jure uti. Deinde assumunt
 plerumque has actionum species, contra commune naturae rationa-
 lis jus esse: ex hac parte in nostra hac aetate, Socinianos, Arminia-
 nos, sublapsarios stare, ut plurimum putavi. Alteram vero tuentur
 supralapsarii recenter, antiquitus Stoici, & aut praemissam ne-
 gant propositionem, asseruntque eodem jure non uti; aut eam im-
 provisam forte consequentia admittunt, & idem agnoscunt jus, sed
 deinde dictas actionum species juri naturae reconciliare (quo in-
 ficienter assumptis) student: Nullum autem ex utraque parte ar-
 gumentum consistit, antequam confirmata sit de supposito jure
 Hypothesis. Circa propositiones quaestio est, an DEVS & homo
 per easdem perficiantur virtutes, & eodem modo regulatas, is-
 demque terminis finitas; vel (qua quaestioni conjectio ad solutio-
 nem non parum prodesse possunt) an sicut se habet homo ad hominem,
 ita respectu moralium actionum DEVM se habere ad hominem ne-
 cesse sit, eademque sit utrobique actionum norma? Dijudicari au-
 tem ista nequit recte quaestio, antequam conspiciatur primo, quae in-
 ter homines norma seu regula sit, & deinde quomodo per eam, quae
 in confesso sunt divinae actiones, possint resolvi, recteque posse
 consistere, vel non posse consistere fiat iudicium. Qui enim magnis
 verborum involucris de amplitudine DEI, potentia, & libertate
 edisserunt, nec dicunt aut imaginantur, in quibus sit amplius, a quibus
 (scilicet obligationibus) sit liber verba potius quam notiones osten-
 tant, aera verberant, & cum sibi adversantibus non alio potius
 quam Andabarum, more pugnare videndur. In assumtis ver-
 sancur quaestiones, an cum iustitia communi dicta actionum species
 con-

convenient? Adeo ut neque in illis quicquam concludi possit priusquam quid justum in justumque apud homines sit, quidve communis illa, de qua loquuntur justitia exigat extra controversia aleam ponatur? Taliter quamdiu non egerit eaque ratione communem illam & antiquam opinionem sustulerit prius, ut suam paradoxam in illius loco collocare possit, frustra egerit omnia; neque illi contra omnem vetustatem novum dogma dicendi temere quis & sine rationibus apodicticis credere debebit. Manet enim positum quin & fixum; esse justitiam quandam rationalium communem & ab hac communi rationalium justitia illud quod naturaliter justum est profluere. Illam autem quæ hominibus cum Deo communis est, justitiam & bonitatem non posse essendi suam rationem accipere ullo aliquo placito voluntate & impositione vel divina etiam; adeoque oportere ut antecederent ad legem quamcunque, abstrahendo ab omni lege, ex se & sua natura bonitatis & justitiæ rationem habeat; sic ut non possint non esse quædam hominum actiones quæ abstractim etiã ab impositione & voluntate quavis considerata ex sese & natura sua justæ sint aut injustæ, bonæ aut malæ. Quæ quidem assertio, ut catholico de turpitudine & honestate naturali, pene dixerim inter omnes homines ratione utentes effato, consonat, ita paradoxo huic Puffendorffianæ novitatis commento aperte & quasi in faciem contradicit. Non igitur causam fonticam habuit juris naturalis Doctor Grotium ut miraretur cum plerisque nostratum Theologorum istam assertionem citra ullam dubitationem assumentem, cum quam cogitate id cum illis faciat Grotius satis curatè explicuerit quando de I. B. & P. lib. I. Cap. I. §. 10. p. 4. postquam juris naturalis definitionem posuisset, sic pergit. *Actus de quibus tale exstat dictatum debiti sunt*



sunt aut illiciti per se, atque ideo à Deo necessario præcepti aut vetiti intelliguntur: quæ nata distat hoc jus non à humano tantum jure sed à Divino voluntario quod non ea præcipit aut vetat quæ per se aut suapte natura aut debita sunt aut illicita, sed vetando illicita præcipiendo debita facit. Et non multo post: Est jus naturale adeo immutabile, ut ne à Deo quidem mutari queat. Quamquam enim immensa est Dei potentia, dici tamen quædam possunt ad quæ se illa non extendit, quia quæ ita dicuntur, dicuntur tantum, sensum autem qui rem exprimat nullum habent; sed sibi ipsis repugnant: Sicut ergo ut bis duo non sint quatuor ne à Deo quidem potest effici, ita ne hoc quidem, ut quod intrinseca ratione malum est malum non sit. Et hoc est quod Aristot. significat cum dicit: *ἔτι ἐν θεῷ ὡνόμασαι σὺν ἐπιλημμένα μετὰ τῆς Φαυλότητος*. Nam ut esse rerum postquam sunt, & quæ sunt aliunde non pendet, ita & proprietates, quæ esse illud necessario consequuntur. Talis autem est malitia quorundam actuum comparatorum ad naturam sanatione utentem. Itaque & Deus ipse secundum hanc normam de se judicari patitur, ut videre est Gen. 18. v. 25. Esai 5. v. 3. Ezech. 18. v. 25. Jerem. 11. v. 9. Mich. 6. v. 2. Rom. 2. v. 6. 3. 6. ad quæ quidem illius verba hæc notavit optimæ notæ Theologus pariter & Juris consultus Dominus Ziglerus, p. 52. Ut constet utrum aliquid pugnet cum jure naturæ primæ, an secundario, probe tenendum est, quædam apud creaturas rationales, in ordine ad Deum & inter se, justa & recta esse tantum, quia DEVS vult; quædam vero justa esse & dici, quæ Deus aliter velle non potest, quæque adeo sua justitia intrinseca omnem voluntatem Dei liberam antevertunt. Consequenter igitur sunt quædam mala, ideo, quia Deus non vult ideo, quia mala sunt. Quæcumque ergo sive bonitate sua, sive malitia intrinseca voluntatem Dei liberam in signo rationis antevertunt, illa pertinent ad jus naturæ primæ, à quo vel præcipiuntur vel prohibentur. Reliqua vero referuntur

feruntur ad aliud aliquod, sive ad jus natura secundarium, sive ad jus gentium, sive ad jus positivum. Et hoc est, quod dicit Ludovicus Molina tom. I. de Jur & Just. disp. 3. n. 2. Obligationem juris naturalis oriri à natura objecti & sese diffundere in præceptum; è contrario obligationem juris positivi oriri à præcepto & sese diffundere in objectum. Quæ quidem doctrina sic apud omnes in confesso fuit hæctenus ut Hugonis Grotii frater Gvilielmus frater in suo de principiis juris naturalis enchiridio Cap. I. §. 16. p. m. 13. scribat: *Tritum esse illud axioma quod quædam mala sint quia prohibita quia mala quorum hoc ad jus natura illud ad alias leges pertineat.* §. Quæ autem in medium affert Pufendorffius argutationum objectamina certi tanti ponderis non sunt ut inde, qui prudens est pius & perspicax lector, è possessione tam vetusti dogmatis facile turbari possit. Quod per hanc rationem necessum sit provenire definitionem legis naturalis quæ non possit non in circulum revolvi & petere id quod est in principio juxta Pufendorffium p. 35: id periculum non habet. Namque in omni quæ quidem cum ratione fit, præprimis autem in philosophica quæstionis responsione processus in infinitum dari nequit, adeoque ad ultimum aliquod deveniendum est cujus ratio prior dari nequeat. Quando igitur ex iis qui hæctenus docuerunt juris naturæ Professoribus quæritur, de quibusnam lege naturæ disponatur; merito respondent; de iis quæ per se & sua natura honesta sunt & turpia. Neque tamen si ulterius quæras quæ per se & sua natura honesta sint aut turpia illa definiunt, quod sint ea de qui us lege naturæ disponitur ut sic idem per idem explicent & circulum committant, sed in hac propositione utpote illius quæstionis prima ultra quam progredi non datur acquiescunt illamque ex terminis notam satis esse & perspicuam arbitrantur. *Circulus autem Sophisticus*

phisticus est quando ex posterioribus probatur prius juxta Aristotelem lib. 2. prior. analyt. Cap. 18. vel uti λογικότης describit Danhaverus: Quotiescunque exaque ignoto probatur aequae ignotum id eâ boni disput. sect. 2. parte II. p. m. 178.

Quamvis autem hæc quæ ex se & natura sua honesta sunt vel turpia sive bonitate sive malitia sua intrinseca Dei voluntatem liberam in signo rationis antevertant, sic ut mala sint non propterea quod Deus nolit, sed Deus nolit, propterea quod mala sint: non tamen se antecedenter ad Deum ita habent uti argumentatur Pufendorffius, cum ab æterno hoc bonitatis fonte æterna hujus legis justitia profluat, adeoque ut rivus originem sequatur non antecedit. Etenim id quod ex vero scribit Dominus Henricus Henninges in nuperis suis ad H. Grotium de J. B. & P. observationibus lib. I. cap. I. p. 89. & 104. *Ex sanctitate divina origo & incunabula juris natura repetenda sunt. Ius naturale enim est particula quadam divina imaginis & idea ejusdem sanctitatis. Quandoquidem igitur hoc quod ex se & sua natura honestum est vel turpe, ut ut in rationis signo ad voluntatem divinam antecedenter se habeat, ipsam tamen æternam hujus existentiam non antecedit, neque etiam timeri inde oportebit. horribile illud absurdum, ut, aut fatum stoicum admittere debeamus, cui & ipse DEUS sit alligatus, aut dari principium concedamus DEO prius aut coeternum formas rerum quasi determinans aut specificans cui ne Deus quidem contravenire debeat aut possit. Et ejusdem commatis est quod contra honestum turpeve ex se & sua natura tertio loco objicit quando eadem p. 36. sic scribit. Annon ipsa scriptura sacra peccatum seu actionem naturalem definit per divortium seu discrepantiam à lege? ac nullus rusticus est tam stupidus quin intelligat & applicare norit tritum illud: ubi non est lex ibi non est transgressio, &c. Etenim est &*

& hoc juris naturalis peccatum aut ei adversa actio mala
incongrua & discrepantia à lege cum contra aeternam illam &
quæ Deo coæva est legem prævaricetur. Namq; id quod re-
cte notat Adrianus Heerbord, in Academia Leidensi olim
Philosophiæ rationalis, moralis & civilis Professor Disput.
select. de lege in communi; *tribus modis lex spectari poterit:*
1. *secundum se* 2. *ut est in legis-latore.* 3. *ut est in subdito.* Si
lex in se spectetur nihil aliud est quam quædam regula seu mensura
quæ nos dirigit & obligat in nostris actionibus: Ostendit enim ut
quid agendum sit agamus quid omittendum omittamus: Itaque
duo sunt officia legis: † unum est dirigere seu illuminare, aliterum
obligare. Lex enim dirigit vel illuminat quatenus est regula hu-
manarum actuum obligat, quatenus tenemur eam regulam sequi
ac servare: sive illa obligatio oriatur ex natura rei ut in legibus
naturalibus, sive oriatur ex voluntate & potestate superioris, ut
fit in legibus positivis, &c. Sed materia hæc prolixior est
quam ut hac occasione expediri à me commode possit.
Adeat cui placet & ad manus est Doct. Templerum qui nu-
per in Germania nostra ex Anglis comparuit in Idea Theo-
log. Leviath. videbit quam primo statim dogmate p 3. seqq.
in Hobbio hoc opinionis monstrum; nih lex se & simpli-
citer malum Bonumve esse, tam feliciter prostraverit. Ego
breviter quod sentio dicam denuò. Quicum Pufendorffio
dari ex se & sua natura negant honestum aliquod & turpe
non quidquã agunt aliud nisi ut ipsum jus natural. funditus
evertant quidquid etiam ex hujus sibi scrutinio promise-
rint quidquid etiam inde gloriati fuerint,

Sic tandem ex novitatibus talis modi malè moratæ
philosophiæ novus aliqui Carneades denuo profitebitur;
jurasti homines pro utilitate sanxisse, scilicet varia pro moribus
& apud eosdem pro temporibus sæpe mutata; Ius autem naturale

H

nullum

† Disp. select., volum. 1. p. 576.

nullum esse. Omnes & homines & alios animantes ad utilitates suas natura ducente ferri; proinde aut nullam esse justitiam; aut, si sit aliqua, summam esse stultitiam; quoniam sibi noceret alienis commodis consulens; uti disputationis illius summam recenset Lactæ venæ Pater Lactantius Firmianus de justitia libr. 5 cap. 16. p. m. 341. Neque deerunt tandem qui cum Carpocrate & impurissimis ejusdem a seclis non nisi sola hominum opinione bona & mala discerni affirmant adeoq; omnem pudorem & honestatem proculcent id quod de hoc impuritatum Magistro ex iren. lib. I. c. 24. Clement. Alex. lib. 3. stromat. 104. observavit, is qui in illustri Julia moralem hodie philosophiam profiteretur inque eâ naturale jus scrutatur eruditissimus Uffelmannus in nupera sua Dissert. de perfect. imperfect. Cap. 3. p. 14.

Tu cogita quæso & expende, Benevole Lector, numquæcum tanto periculo conjunctæ sint novarum dogmatum assertiones Pythagoricum illud *αὐτὸς ἑφά* mereantur, ut illis etiam quibus Pietas Fides & Religio ut depositum aliquod sanctissimè custodiendum tradita fuerunt ne verbulo tamen adversus eas hiscere liceat. Mihi certe prætabilibus qui in Christianitate vivunt Juris naturalis Doctoribus placere deberent illi qui in China sunt inter gentes Philosophiæ moralis Professores, quorum doctrinam è Confutis lib. 1. in compendium contraxit autor Hist. Sin. lib. 4. quando sic scribit: *Magna sive magnorum virorum doctrina in ea posita est ut cum quisque seipsum perfecit alios quoque perfectiat sicut omnes unum, hoc est summum, bonum consequantur. Sed sui ipsius perfectio in eo consistit, ut quisq; lumen naturale in se accendat clariusq; reddat ita ut à lege naturæ præceptisve à natura insitis nunquam exeret. Quod quia sine vera rerum cognitione scientiave fieri nequit, inde Philosophia danda est operatur*

per quam quæ facienda quæ fugienda scientiam habeamus. Hac scientia consilia nostra dirigamus, hac voluntatem, h. e. utriusque actiones perficiamus, ut nihil sentiamus nihil velimus nisi quod est rationi consentaneum. Exinde corporum etiam sensuumque existit perfectio & in omnibus externis actionibus apta ex virtute constitutio, quæ nunquam proveniaturæ est si non è bona mente velut è fecunda matre efflorescit, &c.

Quantopere dilaudet socium & Doctorem suum Hob-
bium Dominus Pufendorffius, ac si in rimanda societatis hu-
mana & civilis compage aut neminem aut paucos admodum pares
habuerit, ex ipsis tamen Anglis id quod inde civili homi-
numque societati immineat periculum satis rectè observa-
runt sicut qui philosophicæ Cumberlandi de jure naturæ
disquisitioni præfationem addidit H. B. scribere non dubi-
tet; jacta inibi fuisse fundamenta omnis impietatis, injustitiæ ne-
quitiæ & discordiæ. Faxit Deus ut non ab illius Encomiaste
& Discipulo idem Germani nos quin & Sveci timere habea-
mus! Certè illæ in quibus gloriatur inventis à se hæctenus
novitatibus bene nos sperare non sinunt. Quam in illo
quem ab Hobbesio mutuatus est pariter Naturali hominum
statu, quàm in Entibus moralibus Phantasticis, in quæ aliis
novitatum plurimarum inventis ὄψαλα subsint plurima,
mihi nunc non vacat ostendere. Et jam ex hoc tantum spe-
cimine abunde constare poterit de Pufendorffii juris natu-
ralis Doctoris contra jus naturæ iniquitate, inque illius scru-
tinio infelicitate, quam publice in cautionem pro incautis
& vindicationem nominis ostendere debui. Tantum cum
Polygamia simultanea, cujus interdictum Sincero Waren-
bergio, ego Vigil, in ea qua me Deus locavit specula, ex sa-
cris literarum diplomatibus ostenderam; cum illa, inquam,
simultanea Polygamia occasio fuerit, ut me tam atrociter



criminetur Dominus Pufendorffius, paucis tantum qua de hac inexcufatione sua inexcufabili non fatis piè & Christianè loquatur videbimus. *Ceterum*, inquit, *illud circa hanc quæftionem de Polygamia cordati facile vident poftquam animadverfum eſt multos ex Sacerdotibus ad eandem tantopere commoveri non paucos in privatif sermonibus paulo liberius heic philofophari capiffe ut iſtis hominibus egre faciant. Nam quod fæmina ad hanc quæftionem fatis incaleſcant id inde eſt quod nunquam digerere queant illud Heſiodeum, dimidium plus toto. At profecto, uti aliquos nonnullam divortiorum licentiam ſerio optare non abnuerim; ita pauciſſimos ex Christianis dari crediderim qui duas pluresve juſtas habere ſimul uxores cupiant. Et valde ſimplex eſt cui perſuaderi poteſt, nullum eſſe principem Christianum qui polygamiam in remp. introducere velit aut ſerio velle poſſit. Sicuti nec capio quod per licentiam potiffimum Polygamia, uti aliqui arbitrantur atheiſmus aditum ſibi ſternere molitur. Nam ad mendicitatem ea quidem certiffima via eſt & ſi ad excitandam pietatem aliqua calamitates domeſtica faciunt longè maxima videtur pietas incrementa ſumptura per introductam polygamiam dum miſeri mariti in remedium tantorum malorum beatam analyſin ardentiffimis precibus indefinenter ſunt optaturi.*

Sc. priſcus hic & jam Sodomi uſitatus mos fuit iſtis ut homini us ægre faciant qui commoventur pioq; Domini zelo tanguntur ſicuti & fieri & defendi impuritates & facinora audiunt; hunc igitur in Chriſt. morem tanquã Philoſoph. liberioſam, etiam cum laude adducere debebat morate Philoſophiæ & juris naturalis etiam inter Christianos celeberrimus Doctor & Profeſſor! Is qui ſequitur jocus de mulieribus Heſiodeum illud *πλέον ἡμῶν πάντος* nunquam digerere potentibus, nescio annon ſit ex *ἐυλαπεία* illa quam miſus convenire Christianis monuit gentium Apoſtolus ad Eph.

Ephes. 5. vers. 4. Certe sine injuria de fœminis hæc promi-
sue omnibus dici non potuit, cum quæ in malam partem
suspiciæ non est, Christiana præsumptio credere non sinat
contra hoc in Christianitate *παράδοξον* non pietate, illos po-
tius quam lubricine fuisse *ζηλοτύως*. Esse principem Chri-
stianum qui polygamiam in rempublicam introducere ve-
lit aut serio velle possit; nescio an quisquam persuasus sit.
Quod si autem esset, dubitarem an ex hac ratione tam val-
de simplex haberi debeat, ut eum habet Dominus Pufen-
dorffius; quando quidem præteritis futura componere
prudentis, neque tamen clam est eum qui veteris ecclesiæ
Historiam non ignorat, Imperatorem Valentinianum seni-
orem cætera pium & orthodoxum, cum in Justinam Virgi-
nem in ordinata Venere æstualet, ut potiri ea commodius
posset, legem tulisse, per quam cuique volenti liceret duas
uxores legitimas habere eamque in singulis civitatibus
promulgasse; id quod est apud Socrat. libr. 4. Historia-
rum eccles. cap. 26. quamvis magis pie egisse videantur
illorum temporum Christiani quam ut hanc legem sectati
fuerint, id quod jamdum contra Sinc. Warenbergium scri-
psi lit. E. 4. tac. 1. Quidquid sit, id certum est si, quod DE-
us clementer avertat! Princeps persuasus fuerit divino ju-
re interdictum non esse, una plures ut quisquam uxores ha-
beat, adeoque nec uni suæ illibatos servaverit amores, idem
qui ex populo faciant abunde futuros; cum invulgus notum
sit, quod Regis ad exemplum totus componatur orbis. Sed
hæc transeant cum cæteris. Id in Doctore & Professore
Christiano, in Academia præsertim Christiana, & purio-
ris quidem Evangelii Religionis Lutherano-Augustanæ
intolerabile est penitus, quando scribit: *Se non capere quod*
per licentiam potissimum Polygamia atheismus sibi aditum ster-
nere



*nere molitur quodque ut ad excitandam pietatem aliquid dome-
 stica calamitates faciunt, longè maximum videatur pietas incre-
 mentum sumptura per introductam Polygamiam. Itane tandem
 animum à Christianitate degenerem apertè prodit Pufendorffii, ut vel Polygamiam impiam verboque divino
 veritam neges, aut impietatem pietatis causam statuas? Quod si impiam non censeres verboque divino veritam Poly-
 gamiam, quæ quæso tibi injuria fuisset ad publicam præ-
 fertim famam illam quam animo tenes opinionem impu-
 tare; impiam a verboque divino adversam illam si putas,
 qui sit, ut qui Christianus haberi cupis ex re impia pietati
 incrementum & illud quidem longè maximum polliceri
 potueris. Polygamiam simultaneam verbo divino veti-
 tam esse, omnis hæctenus credidit Christianitas. Illum
 Christianæ doctrinæ articulum qui convellit, non potest
 non totam fidei fabricam male movere ipsamque religio-
 nem in dubium & contemptum adducere sicque atheismo
 fenestram, perquam ingrediatur, patefacere. Etenim ve-
 rissimum est quod denuò in hanc rem scribit Judiciosissi-
 mus Dominus Wolfolæus quando ex versione Hinkelman-
 niana sic inquit: Quoties praxis communi religionis veritati
 conformis pro re deridenda & omnibus exhibenda habetur, vere
 Atheismum instare conjicimus. Quanquã ab iis fiat quorum in cæ-
 teris principia erronea non sint, nec in Religionis capitibus reliquis
 hallucinentur, facilis tamen est via toti id postea ut fiat religioni,
 praxi & opinione quacunque eandem eludendo. Non est credibile
 hominem in peccatorum omissione seipsum abnegare, pluraque
 ejusmodi peragere alio fundamento quam Religionis & Conscien-
 tia, quodque ea ab æterno Ente sui Domino prohibita sentiat.
 Quoties ergo praxis ejusmodi contemnitur, ipsa veritate, unde
 illa oriri debebat, in irrisionem Deitatis omnis Entis supremi abu-
 ritur*

ritur homo. Scilicet prout prima ita & potissima religionis pars in actione seu praxi consistit: quæ ubi negligitur facile, deinde omnis quoque expirat Theoria. Quæcumque Religionis partes minus controversa, quin ipsa religionis alicujus praxis ab humanis mentibus exagitur, quæcumque illuc mortales operam intendunt ex divinitate publica ipsis ut derisionis & contemptus nascatur materia, non potest non Atheismi quam maximum timeri diluvium, &c. Sic omnino per illam quæ contra usitatam Christianorum praxin docetur Polygamia licentiam atheismus sibi aditum sternere molitur, quem quidam tunc invenit felicissime quando conformiter huic doctrinae præceptum divinum de ordinata ad unam venere, retro abjiciunt homines & oblitteratâ instituti hujus memoriâ impunè sibi esse putant uxores mutare vel etiam multiplicare. Equidem per omnem peccandi licentiam aditum sibi parat Atheismus dumque obliti Dei sui in crimina, cujuscunque tandem generis, ruunt, athei vel anthithei fiunt homines; præcipue autem inordinatæ libidinis æstu, quo vehementius nihil est, ad hanc suam causam utitur Satan *μυριοτεχνίτης*; sic ut cernere liceat, quàm non facile se extricent illis qui implicati fuerunt impietatum retinaculis. Malitiam primimundi, quæ non nisi aquis universalibus elui poterat, cogita tantum attentius, quam illa ex inordinata venere in omnimodum tandem Atheismum excreverit, sacrae paginae satis perspicue docebunt. Sodomæorum expende proterviam ex inordinata primum venere in illud quod calidus ignem eliceret, cacumen adscendisse perspicies. Numquid igitur à fædisimo hoc Cacodæmonis prostibulo, cœlestem pietatis progeniem polliceris Pufendorffi? aut homini Christiano persuadere Te posse existimas, quod per

introducātam Polygamiam pietas non incrementum tantum, sed & incrementum longe maximum sumptura videatur? Ego hoc unum scio aliter visum iri quotquot pietatem & Christianæ Religionis capita sincere æstimant quid tandem hac ultimâ mundi senectâ is, qui non nisi paucum oppidò tempus sibi superesse novit animarum hostis infensissimus, hoc turpitudinis præconio machinetur.

Deus misereatur temporum nostrorum, quæ præ ultimis primi mundi etiam hoc præcipuum sceleris habent, ut scriptis Doctissimorum in Christianitate virorum à vitio excusetur, quæ vitiorum omnium primum & præcipuum est Venus Polygamias in ordinata. Tu autem mi Domine Pufendorffii quam Te in illa Tua in excusabili excusatione indigne gesseris etiam atque etiam cogita. Me qui, quod Deus novit, non nisi honorifice de Te sensi & locutus fui unquam; me, qui non nisi ex pia intentione impium Christianitatis Paradoxon de Polygamias licentia profligare institui, adeoque quam interdictum sit divinitus una plures uxores habere, eâ quâ id homines decet humanitate, ea qua id Christianos oportet mansuetudine, ea tamen etiam qua id necessum est argumentorum gravitate & pondere, ad leges bonæ disputationis evidenter ostendi & demonstravi; me taliter innocuum, contra prima juris naturæ principia Tutantus juris naturalis Professor, famam meam tam atrociter proscindendo, tam graviter læsisti. Iis de quorum manibus, nisi probè viderint, etiam tuum sanguinem repositet sanguinis nostri vindex Christus Jesus; iis, qui divinitus jussi sunt in specula stare & vigilare ne quid infidei vitæque Christianæ nocumentum zizaniorum interferat occupatissimus, dum dormitur & securè agitur.

tur, hostis & adversarius; iis, inquam, cælitus ad Te quoque missis Dei servis non nisi propter id quod ex supremo omnium mandato egerant officium, Tu Philosophiam oratoriam & officiorum humanorum inter Christianos tantæ famæ Doctor contra hominis Christiani præsertim officium contra bonos inter Christianos præsertim mores tam petulanter insultasti. O Te contra id quod doces naturæ jus iniquum! O Te in indagine & scrutinio illius in felicem! Itanè insignis illa Tua eruditio, quam adhuc & amo & veneror, in manu furentis gladius fuerit à quò cum virtutes defendi debebant profligantur; à quò, cum humanitatis officia protegi debebant extirpantur! Itane verum quoque accider in Te tam incluto literarum Heroe id quod in sanctis observationibus habet Josephus Hallus: Jamais gens n'ont fait tant de maux à l'Eglise, que ceux qui ont excélé en esprit & en sçavoir: ex versione quæ mihi jam ad manus est Gallica, edit. Genev.

Revertere quæso Ah mi Domine Pufendorffi Revertere ab illa quæ sic penitus Te devium fecit animi in temperie! Revertere in sanam mentem unde furor te ejecit, ne cum eo quod sic Tibi familiare est pecore arcadico penitus obbrutuisse videaris. Revertere ad pietatem ex qua idem Te furor excusfit, ne inter Christianos & Evangelii quidem purioris Doctor Ethnicis & gentilibus peior habearis. Vos a. ecclesiarum Scaniarū Præpositi & Doctores macete in illa Lutheri animosissimi nunquã satis laudata animositate, contra ἡθρολογία illa novitatum Pufendorffianorum asserta, unde nisi res provide curabitur, & vestris & aliis ecclesiis quam plurib. periculum imminere apparet. Equidem quod ante annos jam plusculos ab Hobbio sibi expectabat Reverendis-

finis

simus hodie Sarumensis Episcopus Sethus VVardus *ut stultus, mendax, sceleratus, audiat* id Vos, Fidisimi Dei servi, & ego vobiscum experti jã à Pufendorffio sumus, & expectare in posterum habebimus; at enim meminerimus id quod jam ante in memoriam invocavi dulcissimi illius, quod dulcissimus Salvator in solamen reliquit, eloquii: Matth. 5. v. 10. 11. 12: *Beati qui persecutionem patiuntur quoniam ipsorum est regnum caelorum. Beati estis cum maledixerint vobis & persecuti fuerint vos & dixerint omne malum verbum adversum vos mentientes, contra me: gaudete & exultate quoniam merces vestra multa in caelis. Sic enim persecuti sunt Prophetas qui fuerunt ante vos!*

Hobbio Hydræ illi Anglicanæ non unus quoq; ex Anglia Hercules supervenit, sicut qui ideæ Theol. Leviathanis carmen addidit Carolus Robotham Narfolziensis eleganter Domino Templero accinerit:

Quis hic Colossus qui tremendis faucibus
Immane hians porrectus immensum jacet
Vomique turpi foeda ructans dogmata
Utrumque & hinc & inde littus polluit!
Malmsburiensis hydra, pelago iustans
Grandis Leviathan & Gigantæus Draco
Informe monstrum Belluaque Britannica
Usque adeo ad instrar Africæ sic & Angulus
Subinde nobis aliquid apportat novi.

Sed gratia superis, pari passu ambulat
Noxa & Medela: At ne! cito sequuntur Litæ:
Accidit Hydræ Hercules suus: Eadem Insula
Quæ dederat ortum monstro & interitum dedit
Subigitque protinus, ipsa quæ peperit malum.

Vobis Viri Fratres ut in Scania vestra eadem obveniat, felicitas etiam atque etiam operam date. Tu autem Deus veritatis duc nos in veritate. Verbum tuum veritas est!


Dabam G. 1673. Mens. Octobr.

ERRATA

quæ aliquanto plura errepsere hic corri-
gi debent.

P. 2. l. 26. pro *μυμοπιχίζης* lege *μυμοπιχίτης* p. 5. l. 23. pro dicebat leg. dicebant p. 9. l. 30 pro adpersus l. adpersas p. 10 l. 19. pro Artis Hug. Grotio leg. Aristotelis ex Hug. Grotio p. 11. l. 3. pro *ικτύωμα* l. *ικτύωμα* p. 12. l. 7. pro disciplina l. disciplina l. 16. pro revolatione l. revelatione pag. 33 l. 18. pro estato leg. effato l. 27. pro homini homine l. 28. pro recte recti p. 34. l. 2. pro sicut sic ut l. 3. pro se officialitatis officialitatis p. 36. l. 19. pro eandem, eadem l. 20. pro debitum, dabitur l. 24. pro virginis, Virgines p. 37. l. 1. pro Tu Reip. in Reipubl. l. 2. *amolumentum* emolumentum, merentus, merentur l. 4. *incrumentum*, incrementum. l. 6. *na sure* naturæ l. 6. 7. *infanti, infandi* l. 7. *deteffabile*, detestabile l. 12. 13. *scelere scelera* l. 21. *cur. l. inter* l. 25. *πολυγλωτ* l. 26. *πολυμαδης* l. 29. *destructionem* p. 38: l. 2. *Quid, Quod*. p. 40. l. 3. *ortæ, vitæ* l. 9. *circum, civium* l. 19. *esui usui* l. 30. *incendariis, incendiariis*. p. 41. l. 15. pro Pufendorhus l. Pufendorfo p. 42. l. 9. *aresnot, are not* l. 10. *wtatsaver, leg. Whatsoever* l. 11. *fullybe, fullybe* Casterthe Casterthe l. 13. *Phat, shal be the menace of Aut leg. be urged bus the menaces of* Authoritus. l. 24. *infelix infelix* p. 43. *lin. 4. cum eum* p. 44. l. 26. *impotione impositione* p. 46. l. 18. *Quia, Qua* l. 29. *regulæ|regula* p. 47. l. 6. *Civil. sovereign civil. Sovereign* p. 48. *dicantur, dicantur* p. 49. l. 6. *Sirinichius Sinnichius* p. 50. l. 24. *abstractum, abstractim* p. 51. l. 9. *novaturieris, novaturiens* p. 53. l. 8. *dicendi, dicenti* l. 14. *ullo ab* p. 55. l. 10. *ad prohibita inferatur quædam prohibita* p. 58. *lib. novarum, novorum* l. 24. *Confutis, Confutii* p. 59. l. 17. *Sveci, Sveci* l. 21. *inquæ, inque* p. 60. l. 1. *quæ, quam* l. 24. *sicuti, sicubi* p. 64. l. 29. *vigulare vigilare* p. 65. l. 27. *Pufendorffianorum Pufendorffianarum*. p. 66. l. 5. *irrevocavi, revocavi* l. 19. *vomique vomicu* l. 24. *instrar, instar* l. 27. *Atne! Athen* l. 31. *obveniat, felicitas obveniat felicitas*, in pag. tituli fac. 2. lin. 20. pro *affriceret affricet*;







P. 815.

X 2748006

WMA





2

DOMINI SAMUELIS PUFENDORFII
JURIS NATURALIS DOCT. & PROFESS.
CONTRA
IS NATURÆ
IN
QVITAS INQVE ILLIUS
SCRUTINIO INFELICITAS
IN
UTIONEM PRO INCAUTIS
ET
VINDICATIONEM NOMINIS
Publicè ostensa
Per
V. D. M.
contra Sincerum VVarenbergium Christia-
gilem nominare & adversus *à 1685* illius de Polyga-
assertiones pro munere sibi in Ecclesia DEI cre-
dito debite voluit Vigilare.
Marc. 13. v. 37.
quod vobis dico omnibus dico : VIGILATE,



GERMANOPOLI, ANNO 1674.

